2

IOSEPHI SCALIGERI IVL. CÆS. F.

EPISTOLA


DE VETVSTATE ET SPLENDORE GENTIS SCALIGERÆ,

ET

IVL. CÆS. SCALIGERI VITA.

IVL. CÆS. SCALIGERI Oratio in luctu filioli AVDECTI.

Item TESTIMONIA *de Gente Scaligera & Iul. Cæs. Scaligero.*



LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
CIↃ. IↃ. XCIV.



INSIGNIA PRISCA GENTIS SCALIGERÆ ANTE INITIA IMPERIJ VERONENSIS.

INSIGNIA PROSAPIÆ PRINCIPVM VERONENSIVM AB ALBOINO ET CANE MAGNO AD IVL. CÆS. SCALIG.

Nobilißimo Amplißimoq; viro

PAVLO SCOVARTIO BVSANVALIO,

Christianissimi Francorum Regis apud Illustrissimos Ordines Prouinciarum confœderatarum Belgij, &c.

LEGATO,

IANVS DOVSA F.
S. D.



AGNI semper existimaui interesse ad decus & laudem cum literarum tum colentium literas, magnorum ingeniorũ memoriam conseruari, vt ostendantur posteritati. Seculi enim pudor sit, si illi qui immortalibus suis vigiliis sibi prospexerunt, ne perirent, illorum ignauia intercidant;

quibus ipsi industriæ exempla sunt. Et quidem hac in parte ætas nostra in tantum deflenda videtur ob incuriam virtutum, quantum suspicienda ob fœcunditatem, quæ tam multos excellentes viros & verà glorià splendidissimos protulit, sed diu ignoratos, sed eodem in perpetuum silentio obruēdos, nisi obliuioni obluctata esset eorum diligentia. Ne longe abeam, eluxit hoc seculo Iulij Cæsaris Scaligeri clarissimū ingenium & singularis exempli, etiam si olim extitisset: cuius tamē eximias virtutes quies ipsius & silentium diu occuluit & subtraxit famæ. Natus erat in familia illustrissimâ, sed è fastigio suo deuolutâ, quam tamen ille nominis sui glorià tantum erexit, quantum fortuna depresserat. Ab ineunte pueritiâ militaribus studiis innutritus, cùm potiorem ætatis partem in iis contriuisset, post multa humanorum casuum in Patre ac Patruis suis documenta, post exhaustam

contu-

contumacis miseriæ acerbitatem è Musarum cõtubernio ausus est petere cum præsentium tum præteritorum malorum leuamenta, & tandem infructuosæ occupationi innoxium & quondam gloriosum otium præferre, tam opportuno remedio, tam felici successu, vt qui continuatis belli per tot annos laboribus seque & spes suas corrupisset, viarum ac militiæ fessus in hoc quietis portu anchoram figeret, & in literario exercitu non interituræ laudis stipendia mereret. Itaque amissæ in maioribus suis magnitudinis spe amissâ nouæ initium à sua fecit. & scientiarum orbem vniuersum, tanquam altera natura, animo atq. intellectione complexus ostendit, quid in summo ingenio summa posset industria. Et tamen hic tantus vir tot eximias animi dotes, tam incomparabilem doctrinam, dum viueret, ambitionis fugâ & secessu tegebat, vt mirabile esset in tanta temporum

luce hominem eſſe qui tam multa ſciret, & tamen neſciretur. Ingenij quidem ſui monimenta quàm pauciſſima dum viueret, nec niſi ſub exitum vitæ in lucem prodire paſſus eſt. Magna eorum pars, quæ quidem ciuilium bellorum incendium effugere potuit, poſt eius obitum publicata. Quæ omnia maiorum ipſius claritudini par ingenium, & ſupra hoc ſeculum doctrinam omnibus ſeculis loquentur. Sed non hic locus deſcribendi eius laudes, quas circumſcribere eſt tam parcè tranſcurrere, quarumque famam, dum doctrina erit, tuebuntur ſemper doctiſſimi libri. Quò magis adnitendum eſſe exiſtimo omnibus, quorum intereſt vacare Muſis, vt nihil eorum lateat, quæ ille tanquam profutura poſteris ſcripſit. Itaque quum inter cetera, quæ quantus ille vir in omni eloquentiæ genere fuerit, oſtendunt, exſtaret oratio in Audecti filioli luctu habita, qua infantis eius inter-

terce-

terceptam inter prima cunabula indolem facundiſſimè deplorat, eam iampridem, tametſi olim typis excuſam, cum non amplius inter manus hominum verſari dolerem, iteratâ editione publici iuris facere, pretium putaui, ne & ipſa ſimili cum ceteris plerisque naufragio interiret. Sed exſpectanda fuit occaſio, vt comitatior prodiret elegantiſſimus hic libellus. Itaque cum alia eiuſdem opuſcula rariora addere decreuiſſem, neque argumenti genere conuenirent, deprehendi tandem Ioſephum Scaligerum virum incomparabilem, cuius ingenio paternarum auitarumque virtutum ſplendor multo factus eſt admirabilior, cum poſt grauioris operæ ſtudia etiam hoc ſeſe cum maioribus ſuis tum poſteritati debere exiſtimaret, vt huic illos, quales fuiſſent, breuiter indicaret, ne aut ignoti eſſent, aut aliter, quàm debeant, noti, eâ de re epiſtolam ad Patrem contexuiſſe. Viſa igitur

fuit perbella occasio vt eam vni scriptam communicaret omnibus, quæ ad omnes pertineret, præmittique pateretur Orationi huic, tum ob argumenti similitudinem, tum ad retundendos eos, qui alieni nominis obtrectatione famam verius aucupantur, quam gloriam, quorum hoc seculum nimis ferax. Addidimus & alia Iulij Scaligeri Poematia, quæ ad hanc rem spectare videbantur. Quæ omnia & erudito lectori grata fore scio, & posteritati accepta, cuius curam vir ille tot laboribus & curis suis meruit. Fauebis & ipse, quod confido, huic muneri, vir Amplissime, vel familiæ caussâ, quæ tam altè cecidit, vt ad summa consurgeret, vel illorum, qui in eam tantum luminis intulerunt, vel literarum, quas in tãtum promouerunt. Nam & virtutes eorum verè amas & æstimas, quia capis, & literarum curam etiam in grauissimis occupationibus nunquam dimittis. Itaque reliquis be-

nefactis

nefactis tuis,quæ in nos congessisti, hic titulus accedat in numerum,vt de munusculi ipsius dignitate & expertæ toties mihi benignitatis exemplis ortam fiduciam prosequatur constantia fauentiæ atque humanitatis tuæ. Vale. Lugduni Batauorum x. Kalend. Sext. cIↃ. IↃ. XCIV.

SERIES

SERIES SCALIGERORVM, PRINCIPVM VERONENSIVM,

A MASTINO PRIMO COMITE SCALENBVRGI, CIVE VERONENSI, AD IVLIVM CÆSAREM A BVRDEN, BENEDICTI FILIVM, IOSEPHI SCALIGERI PATREM.

- MASTINVS I. Comes Scalenburgi, ciuis Veronensis.
  - MASTINVS II. Primus dictator Veronensis.
    - NICOLAVS.
  - ALBERTVS I.
    - BARTHOLOMÆVS, vxores Constãtia filia principis Antiochiæ, ducis Apuliæ. Honesta filia Comitis Sabaudiæ.
    - CONSTANTIA, maritus Obizzo II. Estensis Marchio Ferrariæ.
    - CATHARINA, Mariti, Nicol. de Fuliano Regulus Regij, Bailardinus Comes Nogarolæ.
    - ALBOINVS, vxores, Catharina Matthæi Vicecomitis Mediolanensis filia. N. Giberti Comitis Corregiensis filia.
    - CANIS MAGNVS, vxor Iohanna Ducis Anthiochiæ filia minor.
    - ALBERTVS II.
    - MASTINVS, vxor Thadea Iacobi Carrariæ principis Patauini filia.
      - BARTHOLOMÆVS CANIS RASIDVS, vxor, Elizabetha Imp. Ludouici Bauari, & Margaretæ Hollandiæ Comitis filia.
      - VIRIDIS. Maritus Nicol. Estensis Claudus, Marchio Ferrariæ.
      - CANIS SIGNORIVS
        - WILELMVS GROSSVS, vxor, Bona, Sterlinijducis filia
          - BRVNOR BAVARVS, vxor, Philippa Amedæi Comitis Sabaudiæ filius.
            - IOHAN. vxor Helena Closmetin.
              - IOHAN. vxor N. de Lemingen Bauara.
                - IOHANNES Castellanus Ingolstadij, vxor Maria Frigepanis.
                - BERNARDVS Castellanus Scardingæ.
                  - LVDOVICVS, CHRISTOPHORVS. Interfecti ad vicum Cetesoliam in Liguribus Taurinis.
          - ANTONIVS.
          - NICOLAVS PIVS, vxor Bartholomæa Austriaca Lupoldi veteris proneptis.
            - BENEDICTVS, vxor Berenica Lodronia Comitis Paridis Magni filia.
              - TITVS occubuit cœlebs in prœlio Rauennate.
              - IVL. CÆS. A BVRDEN. vxor Andieta de Roca Lobeiaca Aginnensis.
                - STEPHANVS SILVIVS, vxores Margareta Besatla, Katarina de Goffanius. obiit in Nouempopulania.
                - AVDETVS, suffocatus puerulus a gerula sua.
                - IOSEPH. IVSTVS.
                - LEONARDVS, interfectus an. 1568. ad oppidũ Pictonum Laudunum.
                - IANVS CONSTANTIVS interfectus factione nobilitatis in Transiluania.
            - BONIFACIVS, vxor Magdalena Theodori Palæologi filia, Cõstantini vltimi Imper. neptis.
              - MICHAEL.
              - CAMILLA.
            - HIERONYMVS.
            - TITVS.
            - FRANCISCVS.
              - MARCVS RVSTICVS interfectus Mantuæ factione Venetorũ, cum vxore, & duobus filiis Mauricio, & Iulio.
                - MAVRICIVS. / IVLIVS. Interfecti a Martalossa iussu Venetorum.
              - IVLIVS. N. in Corcyrã trãslatus, & relegatus a Venetis.
      - FACINVS, fratricida. vxor, Agnes ducis Dyrrachini & Comitis Atrebatensis fil.
      - BARTHOLOMÆVS filius naturalis natalib. restitutus.
      - ANTONIVS fratricida filius naturalis, natalibus restitutus. Vltimus princeps Veronensis. Obiit in Etruria.
        - SILIVS.
      - ALTALVNA. vir Ludouicus Romulus Ludouici Imp. Bauari F. Marchio Brandenb.
      - BEATRIX REGINA ex posteriore vxore Margareta à Sitzenossen. vir Barnabas Vicecomes Mediol.
  - OMELIA. Maritus N. Comes Mirandulanus.



INGENIVM *cui Dis, & mens contermina cælo,*
Cuncta vnus, cunctos qui ſuper vnus eras,
Muſarum pater, & dextræ par fulmine Marti,
Dum pariter tractas ſingula mente pari;

Quem

Quem rerum omnigenas Natura exquirere vires
Non docuit, de quo docta sed ipsa suas:
Æmule Naturæ, meta & spes ultima rerum;
Dicere quem totum Fama nec ipsa potest.
Qui mundum implesti, imple animo mea verba, teneri
Humanâ modò mens si tua mente potest.
Sed neque te mens nostra capit; vestrasque tacere
Nulla valet laudes lingua, vel exprimere;
Ipse tuos nisi, queis Nati intra pectora viuis
Post obitum, aspires in mea vota Deos.
Ut Famæ momenta, tuo quæ lumine maior
Facta volat, possit linguáve ménsve sequi,
Dia quæ inaccessæ excipiant incendia mentis,
Et lucem à tanto concipiant animo.
Sed non mortales hebetantia fulgura visus,
Non aciem ingenij hanc lumina nostra ferunt.
Nec fas sit mihi plura, sed hoc sit fas mihi solùm
Dicere; te, nisi tu, dicere nemo potest.
Quid mirum? Natura loqui nam destitit ipsa,
Illa tuo postquam destitit ore loqui.

IANVS DOVSA FILIVS.

IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆS. F.

NOBILISSIMO

IANO DOVSÆ,

DOMINO A NORDWIC,

Supremi Hollandiæ Consi-storij Senatori:

HAGAM COMITATENSEM.



VM a Francisco Sansouino luculentum opus de illustribus Italiæ familiis editum esse audiuissem, eiusque videndi maximo desiderio arderem: effectum est amicorum opera, vt eius libri, qui vnicus in his regionibus extabat, copia ad paucos dies mihi facta fuerit: intra quas angustias quanuis raptim eum scriptorem percurrimus: tamen per eas nobis licuit non solum fructum aliquem ex eius lectione colligere, sed etiam de auctore, eiusque opere certo iudicare. Nam quin ei ex accuratissima tot illustrium originum inuestigatione maxima tam ab ipsis illustribus gentibus gratia, quam a posteritate laus debeatur, negari non potest. Quod autem vbi ad vetustissimam Scali-

geram gentem, Regum & Principum progenitricem deuenit, non solum strictim & ieiune, sed etiam maligne de ea loquitur, non possum facere, quin quantum eius diligentiæ tribuebam, tantum candori detraham. Historicus enim clarorum virorum facta moresque posteris tradit, sine gratia, ambitione, & inuidia, bonæ tantum conscientiæ precio ductus: vt si de veritate detrahat, necesse sit, hoc aut ignorantiæ recti negligentiæque adscribere, aut inuidiæ. Sed ignorantia aut negligentia in eo locum non habent, qui in quibusdam propior adulatori nimio diligentior fuerit, in aliis etiam nimiũ quantum curiosus. Habet præterea, vt excusari non possit, domesticos testes, per quos illi veraciori esse licuisset, & ridiculo ac contumelioso postremi nebulonis Villanij testimonio abstinere. Atque vt alios, qui olim præclare de nostra gente & senserunt, & scripserunt, omittam, vernaculus scriptor Torellius Saraina iurisc͠osultus tres libros de principibus Scaligeris, & eorum gestis sermone patrio conscriptos reliquit: qui liber ante hos quinquaginta duos annos Veronæ editus est. Cum ergo hoc non sit negligentia, est ergo succus loliginis & κακοήθεια. Neque vero hic ictus est temerarius, ex destinato venit. Iandudum sentimus nos ab hostibus nominis nostri oppugnari. Sed videamus, quid maleuolentia lucrata sit ex hoc perfunctorio & obtrectationi proximo stilo. Nempe commemoratam a Sansouino clarissimi nostri generis gloriam lector præteriisset. nunc præteritæ a Sansouino omnes caussam requirunt.

runt. Miseram vero nobilitatem, quæ in alienum suffragium venit, & quam non natalibus & maiorum nostrorum virtuti, sed scriptorum libidini debemus. Ad precatorem, quæso, abeamus, qui nobis precariam generis vetustatem ab istis historicis impetret, quos nisi placatos habeamus, metuendum nobis est, ne non solum obscuri, sed ne bonis quidem prognati censeamur. Dantes Poeta illustrissimum Christianissimorum Regum Franciæ genus a laniis Parisiensibus deducit, vtique tam vere, quam ille tenebrio nostrum a scalarum fabro: quas mirum, ni auctor generis in suspendium eorum parabat, quos vaticinabatur illustri nobilitati suæ obtrectaturos. Paulus Iouius, me puero, in aula Henrici secundi obscurissimo cuiq. claritatem generis mercede pollicebatur, maledicentia vlturus, qui eius nundinationi aduersaretur: quod quidem expertus est Annas Mommorantius Comes stabuli Franciæ traductus a venali historico nō aliam ob rem, quam quod nescio quid impudenter petens, repulsam tulisset. Sed Iouius vltus est priuatum odium. Sansouino vnde ille liuor, & ærugo, non video. Dei bonitate, & maiorum meorum virtute, generi nostro semper suus constabit splendor, qui si nullus a natalibus esset, a patre meo, a me, ab alio incipere posset, cum vnusquisque sit auctor nobilitatis suæ, quoties ad priscorum heroum virtutes sese componens existimat eos maiores suos esse, nec ex quibus genitus, sed quem se ipse genuerit, & formauerit, respicit: & vnusquisque cauere potest, ne in malum deprauetur,

cum interdum euitare non poſſit, ne ſua nobilitas in plebitatem degeneret: quod parum abeſt, quin hodie in nobis locum habeat, ex illa tam numeroſa nobilitate ad paucos redactis. ὧδε γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μούνωσε Κρονίων. Quia igitur me rebus humanis exempto, nemo futurus eſt, qui memoriam gentis noſtræ, aduerſus hoc ſæculum veritati & virtutibus tam infeſtum tueri poſſit, graſſanti inuidiæ obuiam ire decreui, & generi noſtro ab vltima vſque origine ad auum meum deducto, patris mei vitam ſubiicere: qui vt primus in gentem noſtram literas intulit, ita dignus eſt, vt literis, de quibus tam bene meruit, memoria eius conſeruetur: quam quidem ab obliuione vindicare, non ambitio eſt, ſed fiducia veritatis. Quo minus difficile erit mihi apud æqua iudicia obtinere, ne aut putidus, aut moleſtus eſſe videar, ſi in patris mei vita explicanda, cum eius quædam memorauero, ideo laudare videar, quia illa laudanda. Non dubitaui autem, nobiliſſime Douza, quin tibi priuatim rem gratam facturus eſſem, ſi cuius ſcripta amas, eius vitam tibi deſcriberem, quantum quidem meminiſſe poſſum eorum, quæ aut ipſe vidi, aut ab ipſo, aut ab eius æqualibus, qui eum in Liguribus Taurinis militantem viderunt & nouerunt, accepi. Multa hactenus latent me, quæ ignoro: multa excidere, quæ ſciui: vt poſſim agnoſcere morbum memoriæ meæ, quæ mihi in hac ætate aurem vellit, & me monet quotidie mori. Quanquam vero ex quo tempore tranſcriptus es in hanc coloniam, tanti tibi eſt rei publicæ vacare, vt neceſſario

animum

animum tuum circunscribas a melioribus studiis: tamen tibi iniquus sim, si publicas occupationes tuas neglectum literarum interpretor, quasi bellum aut odiū his humanioribus indixeris. Hoc non tibi, sed illis obiiciendum est, quibus domus sua diuersorium otij est: cum tua tibi sit a publicis curis ad honesta studia receptus. Neque vero ignoro, quocunque tempore conueniaris, parum tibi a re publica vacare. Sed si cum tot concurrentibus curis paria fecisti, & tanti facis hanc epistolam, vt totam velis perlegere, puta te nondum labore defunctum, sed laborem tantum mutasse: quem tibi non indicerem, nisi e dignitate gentis Scaligeræ esse existimarem, tibi doctissimo patris mei vitam, nobilissimo nobilitatem eius non ignorari: de qua tametsi nemo paulo doctior dubitare, nemo probior non fateri debet: tamen omni nobilitati hoc, vt ita dicam, vitium interuenit, quod ea sine opinione hominum sola sese tueri non potest. Nam nobilem ignorari, est inter ignobiles censeri. adeo vt non minus referat nobilem haberi, quam esse: & nihil intersit, diuitiæ te nobilem acceperint, an fecerint: cum factio atque opes vetustam originem in nobilitate contineant, nouam in nobilitatem admittant. Quod si hæc adminicula defecerint, vel ex principe, nobilis minorum gentium, vel ex nobili plebs fies. Non vacat adducere huc tum quos prisca historia memoriæ prodidit, tum quos maiorum aut nostra ætas tulit, imo quos ipsi vidimus, oriundos felicibus, infelices vero aut nuper natos, aut factos: quorum generis fa-

ſtigium idem caſus, qui & domorum, deciſſerit. Non adferam tot illuſtrium familiarum non tantum ipſis, ſed & ſtantibus quoq. lamentabiles euerſiones. Abunde fidem fecerit fortuna Scaligeræ domus, quæ vt maieſtatem generis apud mentes hominum perpetuare poterat imperio ſuo retinendo, ita amittendo, ſplendorem, quem continuare non potuit, obſcurauit. Itaque cum videam quaſdam familias, hiſtoricorum magis factione, quam merito natalium ſuorum, priſcarum proſapiarum illuſtrem gloriam æquaſſe: nobis metuendum non erat, ne ſtante fortuna imperij noſtri, deeſſent, qui tam illuſtris, tam vetuſtæ gentis memoriam ſaltem conſeruarent. Sed verſis fatis in contraria, vix eſt, vt homines non ſibi perſuaſerint, quia nullum eſt Scaligerorum imperium, propterea nullos extare Scaligeros. Imo multi ſunt, qui non ſolum ipſi credere, ſed & nobis perſuadere, ſi ita inſanimus, parati ſunt: cum tamen hodieque multæ familiæ Scaligeræ ſtirpis extent tum in Bauaria, & reliquo Norico, tum in Dalmatia, & Karnia. Quare qui defeciſſe vniuerſum genus Scaligerorum clamant, & ſcriptis palam teſtantur, næ ipſi ſui nominis & pudoris decoctores ſunt, qui in eorum gratiam, quibus adulantur, tot illuſtrium familiarum odium mereri, quam verum dicere malunt. Ad hanc hominum inuidiam acceſſit quoque temporis iniuria: quia, vt etiam Torellius Saraina teſtatur, perpauca relicta ſunt noſtri generis monimenta; puto, quod hoſtes nominis Scaligeri omnia, quæcunque nanciſci potuerunt, gentis argu-

menta

menta, aboleuerint, dum imperij Veronensis fato Scaligeræ stirpis memoriam finiunt. Ea vero pauca Chronica, quibus se adiutum scribit idem Saraina, adeo mendosa erant, & inter se pugnantia, vt in multis coniectura illi opus fuerit. quod tametsi ipse non monuisset, tamen res ipsa palam loquitur. Vt in genere non minor illi a nobis habenda sit gratia, quod memoriam maiorum nostrorum, quantum in illo fuit, diligentia sua conseruarit, quam venia danda, quod meliorum Chronicorum fide destitutus, in tam periculosa nauigatione cursum tenere non potuit, & a vero aberrauit. Castigandus tamen, quod metu, an adulatione quædam tacet, quædam adiicit: vt cum Wilelmum Grossum non ex Elisabetha Bauara, sed ex concubina natum scribit, aduersus & receptam antiquitus apud maiores nostros & in Bauaria opinionem, & adeo cõtra veritatem ipsam, & Pauli Æmilij sententiam. Sed hoc additum fabulæ, ne illustrissima Ducum Bauarorum gens vllum ius cognatitium haberet Scaligeros in veterem imperij Veronensis possessionem restituendi. Hinc illæ lacrimæ. Non ferendus etiam, quod in non paucis pueriliter hallucinatur. Vt cum, verbi gratia, Cæsaris Ludouici Bauari vitam ad annum vsque CIↃ. CCC. LIX. extendit: cum constet ipsum Ludouicum anno CIↃ. CCC. XLVII, mense Octobri, veneno a vidua Alberti Austriaci propinato, obiisse. Nisi Sarainæ idem condonandum, quod doctissimo Gaspari Peucero, qui scribit mortuo Galeazzio, Alexandriam, & Papiam a Cane Signorio occupa-

tas

tas fuiſſe,eáſque ſucceſſori Galeazzij reſtitutas,Cane Signorio in gratiam recepto: qui eſt manifeſtus ἀναχρονισμὸς vigintiſeptem aut amplius annorum. Nam Canis Signorius obiit anno CIↃ. CCC. LXXV. Galeazzius autem ille anno CIↃ. CCCC. II. Sed & non abludunt ab hac abſurditate ea, quæ in Epitaphio Bailardini Nogarolæ inciſa ſunt in Eccleſia Ciani Caſtelli,in territorio Veronenſi,ditionis Nogarolarum illis olim a Scaligeris conceſſæ. Manifeſtum enim eſt epitaphium multis annis poſt obitum Bailardini conditum fuiſſe. Imo alij de hoc Bailardino ſcribunt, eum nomine Alberti & Canis Scaligerorum legatum ad Henricum Cæſarem fuiſſe, anno CIↃ. CCC. XXXV. cum Henricus obierit,anno CIↃ. CCC. XIII. Tamen Saraina monumentis veteribus deſtitutus veniam in multis meret. Quod enim multa principum Veronenſium præclara facta omiſerit,non hominis,ſed tẽporis culpa eſt. vt cum tacet, Imperatorem Rupertum cum exercitu Canis Signorij congreſſum infeliciter in agro Brixiano ad lacum Benacum, turpi fuga ſeſe recepiſſe. Sed & quid meruit, cum Maſtini tertij exitum deſperationi ſimilem facit? idem ſane quod alij, in quibus Sanſouinus,qui eum imperio excidiſſe dicunt. niſi quarundam ciuitatum amiſſionem imperij exitium vocant. Igitur iniuria temporis,maleuolentia hoſtium, imperitia ſcriptorum,eos cuniculos in generis noſtri memoria egerunt, vt de totius nominis Scaligeri ruina metuendum eſſet, niſi præſto fuiſſet eloquentiſſimus vir, & antiquarum originum vindex Paulus

lus Æmilius Veronensis, qui nactus in Norico acta & annales prosapiæ nostræ vetustissimos, pingui stilo, vt ipse ait, conceptos, edolauit eos, & Latine loqui docuit. Ex eo libro parens meus ea excerpsit, quæ ad nostri generis claritatem præcipue pertinere visa sunt. Cætera per otium describere non licuit. Quod vtinam fecisset, & nobis edendi laborem reliquisset. Postquam igitur Paulus Æmilius multa de splendore & vetustate gentis Scaligeræ disseruit, deducta generis serie ad Alanum Scaligerum, Carniolæ, & Tirolij, atque montanorum Feltriæ, totiusque reliqui tractus inalpini principem: docet, quomodo Attila Hunnorum Rex in Italiam per Carniolæ montes irrumpens ab Alano armis depulsus, & in partes Altini summotus est. Quo tempore accolæ Venetici sinus ingruentem tempestatem prospicientes, relictis oræ maritimæ auitis sedibus, in proximas insulas Adrianorum stagnorum sese receperunt. Id fuit initium magnificæ ciuitatis Venetiarum, quæ male gratiam posteritati Alani retulit; quam a multis iam annis capite, & fortunis oppugnat. Quemadmodum vicinia maris Venetis, ita vallis Polyzela, siue Pulicella, & Anania perfugium Veronensibus fuerunt, cum Attila non solum agrum Veronensem ad vastitatem depopulatus esset, sed & ipsam Veronam funditus euertisset. Qua clade ita perfugarum ciuium animi deiecti sunt, vt patriam iacentem flere potius, quam de ea excitanda cogitare parati essent: donec Alanus eos ex vallibus, in quas perfugerant, conuocatos ad meliorem spem

erexit, & repetendæ patriæ ſimul, atque inſtaurandæ auctor fuit. Quod cum bene ceſſiſſet, eo nomine omnium Veronenſium ſuffragiis princeps renunciatus eſt. Ita duæ nobiliſſimæ vrbes, Venetiæ & Verona vni Alano Scaligero debent, altera quidem, quod nata, altera autem, quod renata eſt. Quod autem pater meus in oratione funebri Theodorico attribuit, quod de Alano dicendum erat, humanitus ϗ μνημονικῶς peccatum eſt. Alani ex Theodoro Theodericus nepos iis rebus geſtis fuit, eaque virtutis gloria, vt hodie vernaculis Germanorum carminibus & prouerbiis celebris ſit. Quem Veronenſem ideo vocant, quod præcipuam ſedem in ea vrbe, cuius inſtaurandæ auus Alanus auctor fuerat, elegiſſet. Sed ante omnia Veronenſis agri loca Sirmionem peninſulam amauit, quam etiam regio palatio, cuius hodieque extant veſtigia, exornauit. Ab hoc Theoderico propagati ſunt ij, qui vallem Polyzeliam, ſiue Pulicellam, Sirmionem, & alios tractus agri Veronenſis aliquot ſæculis ante imperij Veronenſis incunabula poſſederunt. Nam & Torellius ipſe fatetur, Veronæ potentiſſimam opulẽtiſſimamque antiquitus gentem Scaligeram fuiſſe. Quin & hodie in agro Veronenſi pagus Scaligerorum nomen retinet, quod vtique ante ſexcentos annos habet. Præcipue autem idem Torellius ſcribit antiquiſſimum Scaligerorum patrimoniũ fuiſſe, Sirmionem, & vallem Pulicellam iam ante annum Chriſti milleſimum: vt non ſolum vappa ille, qui Maſtinum ſecundum generis auctorem & ſcalarum fabrum, hoc

hoc est Scalarium, non Scalanum, facit, ridiculus sit, sed etiam omnes, qui in odium tam claræ stirpis illum testem adducunt, & malunt ludibrium debere, quam tacere. Theoderici posteritas tum in agro Veronensi & ipsa vrbe radices egit, tum in Bauariam, Illyrium, Dalmatiam, & Pannoniã late diffusa est. Nam progenitus Alani posteris Quiricius Scaliger Salonarum in Dalmatia fuit Dynastes: cui cum filius Mundus in imperio successisset, Gotti ea tempestate, excusso Hunnorum, quibus diu vectigales fuerant, iugo, & multis deinceps victoriis feroces, vicinas vrbes bello lacessere cæperunt. quibus Salonas obsidentibus Mauricius Mundi filius prælio temere cum illis commisso, interfectus est. Pater Mundus euocato ex proximis præsidiis Alarico nepote suo ex Abellia minima filiarum, & Antenore Scaligero gentili suo, Gottos magna clade prostrauit, vrbemque Salonas obsidione liberauit. In Bauaria autem Alani posteritas longe lateque creuit. Nam in ea Nicolaus Scaliger cognomento Fortis Agnete ? Zelij Poloniæ Ducis, aut principis, sorore & Olao genitus, Desiderij Longobardorum Regis exercitum ad Adriam fudit. Huius filius Albertus (alij dicunt nepotẽ ex Benedicto maiore) varia fortuna cũ Taxilione Boiariæ, siue Bauariæ Regulo tantisper cõflixit, donec Carolus Magnus Taxilione deuicto, Albertũ præmiis virtutis donauit, adiecto ditioni eius Bulzano: multisq. præterea donis & priuilegiis affecit, quæ nepotibus Alberti per Berẽgarium Italiæ tyrannum adempta Otho Cæsar primus Emero Sca-

ro Scaligero cum cumulo restituit, data ei in matrimonium siue filia, siue propinqua Emetilde. Qua mortua Emerus ex Balda Petri Hungariæ Regis sorore Trebellium: hic ex Zolomeri Dalmatarum Regis filia Casimirum: Casimirus Ansaldum, & Othonem: Othone mature rebus humanis exempto, Ansaldus Christophorum, Clementem, Georgium, Marmum genuit. Christophori filius Ansaldus Nicolaum Fortem secundum; hic ex Iohanna Sueua Friderici Cæsaris Barbarussæ propinqua Albericum suscepit. de cuius fortitudine mira scribit Paulus Æmilius. Alberto autem alij progenitum Erbonem primum scribunt, & Hardwicum comitem a Burkhaussen. Certissimum enim est, Comites a Burkhaussen ex Trebellij posteritate esse. Erbo in venatu à bisonte interfectus fuit. Hardwico nati sunt Erbo secundus Burggrauius Ratisponensis, & Carrionum, siue Carriniorum Dynasta, præfectus prætorio Boiariæ, princeps maximæ auctoritatis, fortitudinis, & prudentiæ: item Boto posthumus cognomine Fortis: de quibus extat luculentum Elogium apud Abbatem Vspergensem. Erbonis filius Sichardus primus ex Sophia Henrici ducis Charriniani vidua Burchardum Regulum Burkhaussen, Sighardum secundum, Henricum primum: Henricus primus ex vxore Itha Henricū secundum, Gebhardum primum habuit. Henrici secundi filij fuerunt Henricus tertius, Gebhardus secundus. Gebhardi primi filius Gebhardus tertius, Comes siue Regulus Burkhaussen, & Machlandiæ: vxor Sophia. Henricus &

Gebhar-

Gebhardus Gebhardi tertij patrueles in agrum Veronensem ad gentiles suos sese contulerunt. Atque adeo ex hac Burckhaussensium familia Æmilius, & Wolfangus Scaligeros principes Veronenses deducunt. Qui enim familiam ducebant in Veronensibus Scaligeris, ij Comites Scalenburgi vocabantur. Iidem autem antiquitus Comites Scalenburgi, qui & Burkhaussen, fuerunt: & Mastinus primus Comes a Scalenburgo dictus fuit. Hinc etiam Comites de Lika, ex quibus prognati sunt Philippus & Bartholomæus Scaligeri, qui pulsum regno a Tartaris Regem Hungariæ Belam virtute sua in integrum restituerunt: ac propterea a Rege Bela Castro Zkrad in Croatia, regione Hun in Hungaria donati sunt, ac insuper Commilitones Regis vocati, qui sunt tanquam Palatini Regni. Addita præterea a Rege veteribus insignibus Scaligerorum parerga, Cornua ceruina, signacula Solis, & Lunæ: quemadmodum Carolus Magnus parerga insignibus priscis Scaligeræ gentis adiecit Alberto Nicolai Fortis primi filio, ob rem in Taxilionem fortiter gestam. Ea parerga etiam ætate sua extitisse Veronæ scribit Paulus Æmilius, quæcunque illa fuerint. Nam in genere prisca omnium familiarum Scaligeræ stirpis insignia sunt aut Scala singularis, aut Canes vtrinque Scalæ innitentes. qualia insignia præferunt hodie Comites de Scala in Bauaria: in quibus adhuc, vt puto, viuit Ioannes Warmundus illustribus Comitibus a Burkhaussen antiquitus oriundus. Eadem insignia hodie extant in arcibus regionis Hun in Hungaria, vbi fuit

ſedes præcipua illuſtriſſimæ gentis Hunniadum ex poſteris Philippi & Bartholomæi Scaligerorum de Lika: ex quibus Iohannes Hunniades, eiuſque filius Matthias cognomine Coruinus alter Hungariæ fuit tutamen, alter etiam Rex, imo Rex Regum illius æui ſummus: quod nemo negauerit. Neque alia inſignia fuerunt Regum Boſniæ, quorum vltimum & ſeptimum Stephanum dolo Mahometes ſecundus circunuentum viuum excoriauit, impoſito nouo rege Iſacio, homine plebeio. Sed inclitus Matthias Coruinus regnum gẽtilium ſuorum auitum a Baiazethe Mahometis filio virtute belli extorſit. Denique principum Veronenſium progenitores eadem habuerunt inſignia: donec in eam familiam Alboinus & Canis Magnus Aquilam imperij cum Scala primum ab Henrico ſeptimo, deinde a Ludouico Bauaro acceptam nobis reliquerunt. Inſignia enim, quæ ego, & maiores mei ab ipſo vſque Cane Magno accepimus, ſunt eadem plane, quæ Imperij, vno excepto, quod Scala cum quinque gradibus, inferne, quam ſuperne, latior, alitis pedibus ſubiecta eſt. Spatium enim aureum, Aquila biceps nigra, Scala rubra. Cuius Aquilæ & Canis Scaligeri cum meminerit Dantes, Velutellus, qui Commentarium in illum poẽtam ſcripſit, ridicula blaterat de Scala cærulea, & campo neſcio quo. Non enim memini. Nam ſemper Scala noſtræ gentis tam in Hungaria, quam in Norico, Bauaria, agro Veronenſi, in ipſa vrbe Verona, rubra fuit, & canes rubri: ſpatium aureum. Quicunque igitur hodie Scalam cum Canibus

nibus præferunt, ſcito eos non a Principibus Veronenſibus, ſed Principes Veronenſes ab illis oriundos. Qui autem imperij Aquilam cum Scala rubra gerat hodie, nemo ſupereſt præter me, poſtquam ſummo Iudici ita placuit, propter maiorum meorum commeritam culpam, quam in me etiam perſequitur. quanquam, quod in magna eius miſericordiæ parte deputo, noluit me fratricidis prognatum eſſe: quorum poſteritas Antonius Canis Signorij filius, & Silius eiuſdē ex Antonio nepos Aquilam imperij cum Scala rubra geſtarunt. Porro hiſtorici variant in noſtro cognomine, a quibus nullo delectu dicimur Scaligeri, Scaliferi, Scalæ, Scalani, Scaliski, Scalikij. Nam & Otho ſecundus Comes Scalæ memoratur, qui monaſterium monialium in Erla, haud procul Laureaco extruxit, anno C I Ɔ. CC. LXXXI. Commemoratur præterea Comes Scalæ & Beilſtein Conradus ab Octocaro Marchione Stiriæ, in priuilegiis S. Lamberti in Stiria, quod cœnobium conſtructum fuit anno CIƆ. C. LXX. Quin Bernardinus Scardeonius nos vocat Scalas, & Maſtinum Scalam dicit, loquens de Maſtino tertio. Multos commemorat Scaligeros Æmilius, antequam ad Maſtinum primum Comitem Scalenburgi deueniat, patrem Maſtini ſecundi, qui primus Dictator populi Veronenſis perpetuus creatus eſt, quem & auctorem nobilitatis Scaligeræ, & Scalarum antea fabrum impudentiſſime nugantur hoſtes virtutis maiorum noſtrorum, quam cum inſectantur, ipſam quoque virtutem inſectantur. Eccelinus Romanius iniuſta domi-

dominatione Veronam iam tricesimum tertium annum premens, postquam inhumanis & atrocibus factis suis omnium mortalium odium meruisset, potentiam Scaligerorũ suspectam habere cæpit. Quare Bonifatium ac Fridericũ Scaligeros fratres, viros antiqua nobilitate, & summis opibus, vt scribit Saraina, coniurationis insimulatos cũ aliis vrbis proceribus exquisitis suppliciis excruciatos necauit. Quod cum scribit Saraina, non tẽperat sibi, quin hũc atrocem casum miserans obiter de vetustate, potentia, opibus, dignitate, & gratia Scaligerorum Veronensium magnifice prædicet: quos & tunc, & ducentis ante tyrannidem Eccelini annis primas in vrbe obtinuisse scribit. Eant ergo Scalarij fabri, & alieni imperij insessoribus caudam iactent. Sed quid non potest historicorum factio? Saraina de Eccelino loquens nouum hominem vocat, gregario milite Teutone ortum, qui ex minutissima arce, quam in agro Taruisiano possederat, ad hoc regium culmen progressus fecisset. Aut igitur ipse, aut Sansouinus, qui eius originem vetustissimam & nobilissimam prodit, parum cauisse videntur. Si Eccelinus hominum odium, fraterculus Gigantum, cum historico libuit, omnes illustres familias nobilitate prouocat, non mirum, si nos ex iustissimo sceptro, & antiquissimo solio ad fabriles officinas, tanquam ad metalla damnat. Quin Saraina in Eccelino & eius fratre Alberico incepisse & desiisse nobilitatem eorum dicit, aliter ac scribit Sansouinus. Mortuo igitur Eccelino, Mastinus Mastini Comitis Scalenburgi filius,

ciuis

ciuis Veronensis, primum Prætor, deinde interiecto biennio, Dictator creatur perpetuus, cuius imperium, vt & totius posteritatis, moderatissimum, & iustissimum fuit. Quominus audiendus erit Gaspar Peucer, vir doctissimus, qui sub Rodolpho Imperatore Scaligeros iniustos Veronæ insessores fuisse scribit, perinde ac Malatestas Arimini, Carrarios Patauij. Cuius sententiæ eum pœniteret, si sciret Alberto Mastini secundi fratri imperium Veronense vltro a populo delatum fuisse, vt cõstat ex Plebiscito Veronési. Quid vocat iure imperare, nisi populo volenti & cogéti, imperare? Ecquod iustius imperium fuit, quam Alberti primi, Alboini, Canis Magni, Mastini tertij, imo & Canis Signorij Fratricidæ? cuius si virtutes, vt fratricidium excipias, considerentur, nullus eorum temporum princeps iustitia cum & moderatione, prudentia, & virtute bellica non dicam vicit, sed ne æquauit quidem. Mastino principe iustissimo inimicorum factione interfecto, suffectus in eius locum frater Albertus primus summa cum laude iustitiæ & belli gloria Veronæ imperauit. Huius filij, Bartholomæus quidem Constantiam filiam Principis Antiochiæ, Ducis Apuliæ, & hac mortua, Honestam filiam Comitis Sabaudiæ vxorem duxit. Sine liberis decessit: Alboinus auté ex Catharina Maffæi Vicecomitis Mediolanensis filia Albertum secundum, Mastinum tertium genuit. Ex posteriore vero vxore Gilberti Corregiani Comitis filia nullos liberos suscepit. Cani quoque Magno ex Iohanna Antiochiæ Ducis filia, Constantiæ, quæ

C Bartho-

Bartholomæo nupſerat, ſorore, nulli liberi fuerunt. Conſtantiam filiarum Alberti maiorē vxorem duxit Obizzo ſecundus Eſtenſis Marchio Ferrariæ, mortua priore vxore Iacoba de Fieſco. minor Catharina nupſit Nicolao de Fuggiano, vel Foliano, Regij Lepidi Regulo, & poſtea, eo de viuis ſublato, Comiti Bailardino Nogarolæ. Mortuo Alberto ſucceſſit in imperiū maximus natu Bartholomæus, qui nō multo poſt initum imperiū deceſſit. Huic ſuccedens Alboinus frater, adſcito in ſocietatē imperij Cane Magno, Vicarius imperij ab Henrico VII. declaratus eſt, procurante legato eorū Comite Bailardino Nogarola, Alboini affine. Adiectū beneficio, vt Dynaſtia Veronenſis eſſet hereditaria, & Principum Veronenſium poſteritas Aquilam imperij in quadrante ſcuti præferrent. Sed Canis Magnus, cum eidem a Cæſare Ludouico Bauaro idem priuilegium confirmatum eſſet, totum ſcutum Aquila occupauit, ſubiecta Alitis pedibus Scala: quæ inſignia ab eo per poſteros Dynaſtarum Veronenſium ad patrem meum perpetuata & a Maximiliano Cæſare tertium confirmata in me reſederunt vnico eius lineæ ſuperſtite. Alboino iuſtiſſimo & optimo principe vita functo, Canis Magnus filium fratris maiorem natu Albertum ſecundum ſibi ſocium imperij teſte populo adiunxit. Quæ res non ſolum Veronenſibus gratiſſima fuit, propter memoriam Alboini patris, ſed ſummam æquitatis & moderationis opinionem Cani conciliauit. Et ſane Canis talis fuit, qualem decebat eſſe eum, cui Magno appellari contigit, tam propter iuſtitiæ

ſtitiæ, quam geſtarum rerum gloriam. quod e Saraina cognoſcere licet. Anno trigeſimoſeptimo ætatis ſine liberis deceſſit, vir cum ſummis priſci ſæculi Heroibus comparandus; cuius vitæ biennium tantum defuiſſe ad totius Longobardiæ regnum conſequendum ſcribit Paulus Iouius. Nomen illi fuerat Franciſco, a ſacro lauacro, Cani a gentilitate, Magno a merito rerum geſtarum. Neque enim Canis ab illo latrāti animali dictus eſt, vt recte monet Iouius, ſed quod lingua Windorum, vnde principes Veronenſes oriundos vult, Cahan idem eſt, quod lingua Seruiana Cral, id eſt rex, aut princeps. Nam in gente noſtra multi fuerunt Canes, Maſtini, Viſulphi, Guelphi. Cani patruo ſuccedens Albertus ſecundus Alboini filius, more maiorum, fratrem ſuum natu minorem Maſtinum tertium in ſocietatem imperij adhibuit. Maſtinus ex priore vxore Thaddea Patauij Domina Iacobi Patauini Dynaſtæ filia liberos habuit Bartholomæum Canem ab aſperitate morum Rabidum, Canem Signorium, ob fratricidia Facinus vocatum, Paulum Alboinū, Viridem, Altalunam. Ex poſteriore vxore Margareta a Sitzenoffen ſuſcepit Beatricem ob formæ & morum præſtantiam Reginam cognominatam. Omnes hiſtorici Beatricis matrem Thaddeam Patauinam ponunt, ſed Paulus Æmilius Margaretā a Sitzenoffen nominat, quam, Thaddea mortua, vxorem duxerit Maſtinus. Bartholomæo Cani pene puero nupſit Eliſabetha Cæſaris Ludouici Bauari filia, ex Margareta Hollandiæ Comite. Nam Ludouicus Cæſar ex priore

coniuge Beatrice Polonica suscepit Stephanum cognomento fibulatum Comitem Landshut, & Ludouicum Marchionem Brandenburgensem: ex posteriore coniuge Margaretha Hollandiæ & Hannoniæ Comite habuit Wilelmum cognomine Insanum, Albertum Comitem Hollandiæ & Straubingen, Ludouicum Romanum, siue Romulum Comitem Tirolij, Othonem Marchionem Brandemburgensem, Agnetem, quæ dicata est monasterio, Elisabetham, quæ primum Bartholomæo Cani Scaligero, deinde eo interfecto, Comiti Wirtenbergensi nupsit. Sed & tunc mutua affinitate firmius vinculum sanguinem Bauarum Scaligero coniunxit. Nam eodem tempore Cæsar Bauarus filiam suam Elisabetham Bartholomæo Cani Mastini filio: Mastinus vero sororem suam Altalunam Ludouico Romulo Cæsaris filio desponsarunt. Cani Signorio Facinori nupsit Agnes Ducis Dyrrachini filia. alij dicunt filiam Comitis de Artois. Ego puto duas duxisse, hancque posteriorem vxorem fuisse. Paulus Alboinus vxorem duxerit, necne, non comperi. Viridem duxit Nicolaus primus Estensis, cognomine Claudus, Marchio Ferrariæ: Beatricem vero Barnabas Mediolani Vicecomes. Huius præstantissimæ Heroinæ lectissimas animi & corporis dotes, & numerosam prolem, & regias a filiabus affinitates satis testantur omnes, qui illorum temporum res descripserunt. Ecquænam heroina aut ex veteribus, aut ex recentioribus illi comparari possit? Imperauit Mastinus III annos XXII. Hic primus imperium auitum

tum imminuit amissis multis vrbibus, quæ Scaligerorum ditioni ab Alboino, Cane Magno, Alberto accesserant. Nam ineptum est, quod scribit Sansouinus, eum imperium amisisse. Primus etiam Principum Scaligerorum gentilitiæ iustitiæ gloriam inusitata maioribus suis perfidia contaminauit. Nam vt Brixia potiretur, Gibellinorum partes, quas maiores eius, etiam ipse, sequuti hactenus fuerant, per speciem auxilij in vrbem intromittendi prodidit, & Gibellinos populares factionis suæ crudeliter trucidari passus est, persuasus versibus Euripidis ex Phœnissis, quos illi subinde inculcabat Iacobus Carrara socer, homo contaminatissimus, vt eius iuuenilem animum imperij cupiditate ardentem inflammaret. Ita imperium truncum, & quod amplius est, iam piaculo violatæ fidei obligatum filio Bartholomæo Cani Rabido reliquit. Hic ita, vt superius attigimus, a morositate cognominatus filium vnicum ex Elisabetha Bauara Wilelmum nomine, Grossum cognomine genuit. Nam Thebaldeus erat naturalis ex muliere nobili Veronensi. Qui Wilelmum ex eadem concubina natum scribunt, fœnum esse debent, cum eos & Æmilius & veritas ipsa satis confutent. Cane Rabido primum, deinde & Alboino fratribus interfectis, solus imperio potitus est Canis Signorius, Princeps maioribus non indignus, si fratricidia excipias. Nam artibus belli & pacis claruit. Cui successerunt vltimi, & iidem infelicissimi domini, Bartholomæus & Antonius naturales filij, primum quidem ambo simul, deinde solus Anto-

nius, interfecto, ne a patre degeneraret, fratre Bartholomæo. Cuius sceleris pœnas luit eiectus imperio a Galeazzo Mediolani Duce & Comite de Vertu. Hic fuit exitus imperij Veronensis. Cane Rabido interfecto, Elisabetha vxor a conspectu fratricidæ sese & filiolum Wilelmum amolita est, & in Bauariam confugit, & postea Comiti Wirtenbergensi nupsit. Hic Grossus a mole corporis dictus, ex Bona Sterlinij Ducis filia tres liberos suscepit, Brunorum cognomine Bauarum, Antonium, Nicolaum cognomine Pium. Cum Nouellus Carrara Francisci filius, patre capto Galeazzo, in Bauariam venisset, inita cum Wilelmo familiaritate, cœpit eum ad spem imperij Veronensis recuperandi erigere. Vtrique enim idem hostis communis erat Galeazzus, qui Veronam, & Patauium vi adeptus erat. Itaque anno CIↃ. CCCC, qui erat quadragesimus secundus a Canis rabidi cæde, Wilelmus cum Carrara Venetias profectus, & paulo post Venetam nobilitatem consecutus, ope & armis Venetorum ac Carraræ, sed præcipue Pandulfi Malatestæ, Veronam, quæ tum a modico Galeazzi præsidio tenebatur, introductus est vna cum Antonio & Brunoro filiis. Nam minimum natu Nicolaum ob teneram ætatem in Bauaria apud matrem reliquerat. Per portam itaque Aureliam Martij campi ingressus VII Eid. Aprilis, ac postea XIII Kal. Mai, Senatus populique suffragiis summo plausu Princeps renunciatus, & in solium paternum repositus est. Præsidium Mediolanense casu hoc repentino exterritum, accepta fide

Verona excessit. Hæc Wilelmi restitutio Venetis volentibus fuit, quod ipsis potentia Galeazzi formidabilis esset: & præterea multi ex nobilitate Veronensi odio Mediolanensium, & amore nominis Scaligeri, facile passi sunt legitimum dominum in sua recipi, & externum excludi. Hoc accidit anno cIↃ. CCCC. II, cum interea in expeditione Etrusca Galeazzius morbo extinguitur. Carrara obiectam sibi occasionem credens imperium suum proferendi (opibus enim Venetorum Patauium receperat) Galeazzi metu defunctus, Wilelmum familiaritate sibi coniunctissimum, quem ipse armis & consilio suo in imperium restituerat, veneno per emissarios sustulit: atque, vt securitati sceleris viam muniret, Antonium & Brunorum Wilelmi filios biennium in arce veteri Patauina detinuit: quos inde Iacobinus Carrara in montem Celisium translatos laqueo strangulandos curauit. Huc vsque historiam generis nostri ab Alano deduxit disertissimus Paulus Æmilius. Sed Onufrius Panuinius Veronẽsis Eremita Augustinianus, vt ipsemet olim mihi Romæ coram Mureto in Palatio montis Iordani testatus est, libros decem Annalium Veronensium conscripsit, quorum duo postremi Scaligerorum Principum actis dicati erant: & multa à Torellio ignorata sese tanquam fugitiua retraxisse, multa etiam ab illo peccata restituisse & rerum seriem ad Patrem vsque meum continuasse mihi & Mureto affirmauit. Sed mors & hominem nobis & editionem operis intercepit. Wilelmo sublato, Veneti, qui Carraræ antea infensi erant, per causam

ſam vlciſcendæ cædis Wilelmi ciuis ſui & in nobilitatem ſuam inſiti, Carrara Patauij obſeſſo, & ad deditionem compulſo atque mox interfecto, non ſolum Carrarenſium, ſed etiam Scaligerorum imperium inuaſerunt. Brunorus Bauarus Wilelmi Groſſi filius ex Philippa Amedæi Sabaudi filia Iohannem procreauit. Huius filius Iohannes ex Helena Cloſmeria Bauara, ex vxore ſua Bauara de Lemingen ſuſcepit Iohannem Ingolſtadij Caſtellanum, cuius vxor fuit Maria Frigepanis: item Bernardum Scardingæ Caſtellanum. Huius filij Ludouicus & Chriſtophorus ad vicum Cereſoliam in Liguribus Taurinis fortiter pugnantes interfecti ſunt. Antonius Wilelmi filius Brunori frater vxorem non duxit. Nicolaus cognomento Pius minimus natorum Wilelmi Groſſi ex Bartholomæa Auſtriaca veteris Lupoldi Ducis pronepti, Cæſaris Maximiliani propinqua, Benedictum, Bonifatium, Hieronymum, Titum, Franciſcum ſuſcepit. Franciſci filius Marcus Ruſſinus a colore vultus cognominatus, tres filios genuit, quorum Mauritius & Iulius cum patre & matre a Martoloſſa ſicario, iuſſu Venetorum, Mantuæ confoſſi ſunt. Tertij, propter infantiam & oris elegantiam, miſertum eſt. Eum Corcyra inſula relegatum diu vixiſſe aiunt. Martoloſſæ pacta merces latrocinij a Venetis ſoluta eſt. Cuius rei, præter infinitos, duo nobiliſſimi Aquitaniæ noſtræ proceres Gotefridus Caumontius & N. Golardus Braſſaci dominus teſtes fuerunt. Hieronymus, Titus, & Franciſcus Nicolai Pij filij ad Euripum Eubœæ bello Turcico

Turcico fortiter pugnantes interfecti sunt. Bonifatio vxor fuit Magdalena imperatoris Constantini vltimi neptis, ex Theodoro Palæologo, & Iohanna Petri regis Siciliæ filia. Filij Michael & Camilla. Benedictus maximus natu filiorum Nicolai Pij ex Berenica Lodronia Comitis Paridis Magni Lodronij filia suscepit Titum, & Iulium Cæsarem. Hactenus seriem generis nostri a tēporibus Attilæ & Merouæi Francorum Regis ad annum CIↃ. CCCC.LXXXIIII, in quem incidit natalis patris mei, continuauimus: quum Paulus Æmilius ab eodem initio exorsus in Wilelmo Grosso desiuerit, tanto vtiq. certius, quam Germani historici, quanto illi antiquius, quam Itali, qui diuturnitatem generis nostri & defectum pene finibus imperij Veronensis circunscribunt. Germani, vt Auentinus, Vspergensis, Wolfgangus, & alij passim de nostra gente ea cōmemorant, quibuscum initia imperij Veronensis comparata noua videantur. Et sane genus nostrum multis regnis, Dynastiis, & ciuitatibus amplissimis aut æquale, aut antiquius est. Nam Alanus Thedori pater, Theoderici auus floruit rebus gestis nascente iń Galliis Merouingorum imperio. Olaus Nicolai Fortis pater, Alberti filius, vixit eodem imperio deficiente. Trebellius Emeri filius, Casimiri pater, Ansaldi auus, Christophori proauus, Nicolai Fortis secundi abauus, Alberici atauus, sub Othone primo, & Petro Hungarorum Rege. Albericus Nicolai secundi filius cum aliis multis gentilibus suis sub Imperatore Friderico Barbarussa. Canis Magnus sub Imperatore Ludoui-

co Bauaro. Philippus & Bartholomæus auctores gentis Hunniadum sub Bela primo Hungaro. Quod si claritatem affinitatum spectes, quid est augustius, quam aut Reges progignere, aut regio genere nasci? Alani & Theoderici potestas si non fuit regia, quid igitur est tot gentibus imperare? Vltimus Scaligerorum Hunniadum Matthias cognomento Coruinus non solum Rex Hungariæ fuit, sed etiam regum sui æui felicissimus, potentissimus, & iustissimus. Stephanus Regum Bosniæ vltimus septimus gentis nostræ sceptra tenuit. Beatricis Scaligeræ cognomento Reginæ tres filiæ totidem Regibus nupserunt, & reges ex se procrearunt. Nicolaus Fortis primus Olai filius ex Agnete Zelij Polonorum principis: Trebellius Emeri filius ex Balda Petri Hungariæ regis sorore nati sunt: Trebellij filius Casimirus ex Zolomeri Dalmatiæ Regis, Wilelmus Grossus abauus meus ex Elizabetha imperatoris Ludouici filia. Albericus Nicolai secundi filius ex Iohanna Sueua Imperatoris Friderici, Benedictus auus meus ex Bartholomea Austriaca Imperatoris Maximiliani propinqua. Ego sum septimus ab Imperatore Ludouico, & illustrissima Hollandiæ Comite Margareta: septimus item a Mastino tertio, vt & magnus Rex Franciscus, literarum parens. Nam Catharina Beatricis Reginæ filia, Mastini neptis ex patruele suo Iohanne Galeazzio Valentinam: Valentina ex Ludouico duce Aurelianensi Iohannem Comitem Aurelianensem, Caroli Comitis Enculismensis patrem, Francisci Magni Regis auum suscepit. Illustrissima

& vetustissima Estensium Ferrariæ Marchionum familia duplici nobiscum affinitatis vinculo coniuncta est, Constantia primum Alberti Scaligeri primi filia Obizzoni Estensi primo nupta, deinde Viridi Mastini tertij filia Nicolao primo cognomine Claudo. Alfonsus Estensis primus Dux Ferrariæ, princeps nunquam satis laudatus, sextus erat ab Alberto Scaligero primo, vtpote Obizzonis, & Catharinæ Alberti filiæ abnepos. Neque illo minor virtute Federicus Gonzaga, primus & ipse Dux Mantuæ, octauus erat à Mastino tertio, Agnete Beatricis filia Mastini nepte vxore ducta à Francisco Gonzaga Federici Ducis primi atauo. Quid commemorem singularia gentis nostræ erga Reges, Respublicas, & potentissimas ciuitates merita? Alanus Veronam solo ab Attila æquatam a fundamentis vsque tanquam alter Brennus instaurauit. Mundus Quiricij, & Alaricus Antenoris Scaligerorum filij Salonas a Gottis obsessas liberarunt, clarissimo ex hostibus triumpho parto. Nicolaus Fortis primus a populationibus Desiderij Langobardorum Regis omnem agrum circunpadanum vindicauit, fuso late ipsius Desiderij exercitu. Marchiones inclitos Ferrariæ quemadmodum duplex affinitatis vinculum, ita duplex a nobis beneficium deuinxit: primum quidem, quando Bartholomæus Alberti primi filius Ferrariæ Azzonem & Franciscum Estenses restituit, legato Pontificio, eiusque præsidio inde excusso. Iterum, cum Mastinus tertius copias Bertrandi Cardinalis Hostiensis legati Pontificij, qui Ferrariam eiectis Estensibus inuaserat,

uaſerat, magna clade viciſſet, captiuo Comite illuſtriſſimo Arminiaco abducto. Quo facto victor, magno bello profligato, Eſtenſes in auitū imperium repoſuit. Philippus & Bartholomæus Belam Regem Hungariæ, victis, a quibus Rex eiectus fuerat, Tartaris, & regno reſtituerunt, & in poſterum a metu hoſtium tutum præſtiterūt. Albertus ſecundus hoſtem Scaligerorum Paſſarinū Bonaconſium Mantuæ Dynaſtam, Palatio, in quod tyrannus cum liberis ſe receperat, expugnato, interfecit, & Guidoni Gonzagæ homini ſtrenuo, acerrimo, ac priſcæ nobilitatis, ciui quidem Mantuano, ſed ex Germania oriundo, Canis autē magni amico, viam ad imperium Mantuæ obtinendum muniuit: adeo vt poſtero die Guido ſuffragiis populi Mantuæ dominus, eiuſq. filij Philippinus & Feltrinus heredes patris in imperio renūciati ſint. Hoc, inquit Saraina, initium fuit imperij Gonzagarum, quod a Scaligeris deinceps ſemper & fotum eſt, & animatum, atq. adeo illud propter gētis pietatem Deus hactenus conſeruauit, quemadmodum Scaligerorum dynaſtiam propter fratricidia extinxit. Hæc vere quidem Saraina: ſed non prudēter tamen. Nam & Guido Gonzaga ſecundus Ludouici filius, Guidonis primi nepos fratrem Vbaldinum ex æmulatiōne interfecit, quod a patre Guidone conſors imperij adſcitus eſſet. Quamuis Gonzagarum familia hactenus Mantuæ feliciter rerum potita ſit, & multos egregios principes produxerit: tamen fratricidas non ſolum genuit, ſed & ad imperium euexit. Quod ſi propter fratricidium, quod facile concedam, Deus iuſtiſſi-

iustissimus iudex Scaligeros imperio euertit, mirum cur tot illustrissimi Gonzagæ rerum potiti a fratricidis originem trahunt. Sed hæc occulta sunt, & velo diuinæ prouidentiæ a nobis summota. Nam Cane Signorio duorum fratrum carnifice quis iustior, moderatior, continentior, populo acceptior fuit? Sed ad merita gentis nostræ redeo. Mantuæ a Cane captæ mẽtio extat in eius Epitaphio. Auus meus Benedictus, qui summæ rei militari sub rege Matthia gentili suo XVII. annos præfuit, iussu Regis, equitibus Rhodiis suppetias venit, iam propter apparatum expeditionis Turcicæ obsidionem expectantibus: & solus ne tunc Rhodus obsideretur, caussa fuit. & sane a Rhodo tam potentis exercitus obsidionem auertere, est Rhodum a tam potenti exercitu obsessam liberare. Quid referam potentiam, & latissimam imperij Veronensis ditionem? Albertus primus Parmam Rubriis, Regium Lepidi Sanguinariis dedentibus, obtinuit. Adiunxit imperio partim vi, partim sponte Ateste, Vicetiam, Feltriam, Bellunum. Canis Magnus Montem Celisiũ, Montanianam, Patauium, Taruisium: Mastinus tertius Brixiam, quamquam malis artibus, Parmam, eiecto Iohannis Bohemiæ Regis præsidio, Lucam, Opitergium. Quarum omnium Vrbium vicarij imperiales declarati sunt primum a Cæsaribus, deinde a Benedicto Pont. Max. qui interregno Cæsareo eos earundem ciuitatum vicarios imperiales Ecclesiæ nomine pronunciauit: cuius rei monimentum habemus æreum Scaligerorum nummum, ex altera parte Scala singulari, ex

altera Clauibus ſedis Romanæ inſignitum. Hæc igitur tanta vetuſtas generis, tot principum affinitas, tot domi militiæque erga Reges, Reſpublicas & ciuitates benefacta, ſi laudationem ab hominibus exprimere nequiuerunt, ſaltem vituperium & contumeliam a ſe deprecari debuerunt. Sed nunquam efficiet inuidia, quin nos a veritate rei tantum poſſimus, quantum alij a gratia ſcriptorum conſecuti ſunt. τοιαύτης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὐχόμεθ' εἶναι. Ab Alano igitur Scaligero ad Iulium Cæſarem Benedicti filium, patrem meũ, anni ſunt non minus CIↃ. C. XXX. Iulius autem Cæſar natus eſt anno CIↃ. CCCC. LXXXIIII. A. d: IX. Kal. Mai. feria ſexta, annis octaginta poſt Wilelmi Groſſi, ſex autem ante Matthiæ Hungarorum Regis mortem, in Caſtro Ripa ad caput Benaci, qui locus fuerat hactenus ditionis Scaligerorum. Iam Scaligeri magno odio Venetorum flagrabant, ex quo tempore Martinus Papa Brunorum Scaligerum de poſteritate Antonij vltimi Veronenſium Principis in Venetos concitarat. Deinde Nicolaus Pius, eiuſque filius Benedictus Scaligeri apud Matthiam Regem Hungariæ, & Cæſarem Fridericum tertiũ ſæpius egerant, vt auito imperio reſtituerẽtur. Veneti ergo, qui putabant, quamdiu vllus ex gente noſtra ſupereſſet, noui belli ſemina nunquam defutura, præſertim cum Benedictus apud Cæſarem, & regem Hungariæ potentiſſimum plurimum gratia valeret, nihil prius habuerunt, quam eos, quos ſecuritati ſuæ imminere arbitrabantur, de medio tollere. Biduo poſt, hoc eſt, ante diem VII Kal. Mai,

Ripam

Ripam caſtrum inuadunt, vt & nouam puerperam Berenicam Lodroniam, & filios, Titum quidem bimulum, Iulium autem adhuc de matre rubentem tollerent. Ad conſternationem ruſticorum, qui propter repentinum hoſtis aduentum cara ſua ex propinquis villis in arcem conuaſauerant, excita puerpera, ſalutem fuga ſibi, & filiis peperit, atque ad patrem Paridem cognomento Magnum, Comitem Lodronij profugit. Hoſtes arce potiuntur. Hanc vltimam de naufragio Scaligeræ domus tabulam rapuerunt Veneti. Puer in agris auitis eductus vna cum Tito fratre prima literarum & Grammaticæ eleméta didicit præceptore Iohanne Iucundo Veronenſi, cliente familiæ noſtræ, homine doctiſſimo & probiſſimo, qui poſtea ad monachos Franciſcanos tranſiit. Annorum duodecim minor Maximiliano Cæſari à patre Benedicto oblatus, in numero illuſtrium puerorum aulicorum, quos in Gallia pueros honoratos vocamus, habitus, & vna cum illis in liberalibus & animi ſtudiis & corporis experimentis eruditus eſt, cum illis Latine loqui, arma tractare, equitare, & ludicra pugnæ ſimulacra ciere. Si dixero Imperatorem Maximilianum omnibus æui ſui & ſuperioris memoriæ principibus heroicis virtutibus excelluiſſe, nec nouum dixero, nec omne. Hoc tantum dicam: quemadmodum eius aula omnis honeſti cultus Schola fuit, ita qui ex ea prodierunt, viri plane heroici, non pædagogos aut campidoctores aulicos, ſed ipſummet Maximilianum morum & diſciplinæ militaris

litaris

litaris informatorem habuisse videbantur. Sub tanto igitur principe per totos XVII, aut amplius, annos, quibus in domesticis Cæsaris fuit, tantum in militaribus studiis profecit, vt omnibus aulicis & externis admirationi esset. Caussa huic rei duplex erat. Primum, quod patruus eius Bonifatius vir vigilacissimus, & acerrimus acta totius diei ab eo quotidie fastidiose exigebat, vt ei otioso aut negligenti esse non liceret. Deinde Cæsar ipse, vbicunque illi a curis grauioribus vacaret, quasi spector disciplinæ aulicorum puerorum, eos inter se certantes, & ludicra prælia committentes libentissime spectabat. Hæc curiositas Principis æmulationem inter eos accendebat. nec frustra. Nam quotidie meliores seipsis euadebant. Ita igitur eductus, & institutus Cæsarem in omnibus expeditionibus, aut Benedictum patrem, qui in Italia partem rei bellicæ sub Cæsare administrabat, secutus est. Orto deinde grauissimo inter Cæsarem & Venetos bello, nunquam a latere patrui Bonifatij aut patris discessit: in cuius etiam contubernio Veronæ fuit, cum Benedictum Veronæ regendæ impositum per speciem eum in auitum imperium reponendi non multo post inde Cæsar euocasset, pace cum Venetis inita, & armis in Gallum conuersis. Cum Benedictus non euocari se, sed eiici censeret, omnemque sibi spem recuperandi auiti sceptri hoc facto præcidi: grauissime hanc repentinam mutationem tulit, & Regem Ludouicum clam solicitare cepit, spondens suam vtilem in eo bello operam, si eo loco, quo apud Cæsarem tunc

esset

esset, sese habere vellet. Longo enim vsu rerum in Italia, Germania, & Hungaria gestarum sibi nota esse ea, ad quæ discenda Gallis longiore experientia in illis regionibus opus esset. Pollicitationem hominis a vanitate remotissimi Rex, alioqui prudentissimus Princeps, inhumano dictó prosecutus est: Se rationem non habere nobilitatis, quæ pro censu tumulos auorum ostentaret. Benedictus se ab externo principe non admitti æquo animo tulit, qui paulo ante ab eo, de quo bene meritus erat, reiectus fuerat. Secutum est paulo post funestissimum prælium Rauennate: in quo prima coitione cum dubia fortuna & multo vtrinque sanguine diu pugnatum esset, Benedictus & Titus filius Cæsareæ turmæ vexillifer interfecti sunt: quorum cadauera hosti erepta Iulius Cæsar in tuto reponenda, Aquilam etiam receptam, quam Titus gestauerat, Cæsari reddendam curauit. Cum Cæsarei iam victoriam exploratam haberent, id quod ex acclamationibus militum, vt fit, sibi persuadebant: ecce acerrimus iuuenis illustris Gasto Fuxius, dux vniuersi exercitus Gallici, collectis viribus, secundo in Cæsareos signa mouet. Vnde maiore longe, quam antea, clade prælio instaurato, Iulius Cæsar equo ab equite cataphracto Gallo deturbatus, & humi afflictus sexcentis equinis vngulis proculcatus est, vt inde pro mortuo a suis post pugnam elatus sit. Paucis tamen interiectis diebus, cum ad se rediisset, licet pessime acceptus, ad Cæsarem prope depositus vt deferretur, præcepit. Ibi Cæsar laudatum ob patris & fratris corpora seruata, & Aqui-

Iam receptam, præmiis virtutis affecit: equitem etiam & propinquum dixit, datis, vt solet, manu propria calcaribus aureis, & torque equestri cum appendice Aquilæ imperialis aurea, quam Aquilam tametsi maiores nostri gestauerant, tamen eam huic virtutis præmio Cæsar accedere voluit, tanquam ab illo tunc primum hoc præmium inciperet, non tanquam a maioribus delatum ad nos peruenisset. Itaque nos Aquilam imperij a tribus Cæsaribus accepimus, Alboinus quidem ab Henrico septimo, Canis Magnus & Mastinus III a Ludouico Bauaro, Iulius Cæsar pater meus a Maximiliano: cuius etiã propinquus dupliciter erat, natura & adoptione. Bartholomæa enim Austriaca Benedicti mater, Iulij Cæsaris auia, propinqua Cæsaris Maximiliani erat. Deinde qui ob virtutem bellicam equites a principe renunciantur, ij eadem opera in affinitatem principis recipiuntur, & propinqui eius declarantur, quasi in familiam eius adoptati. Plurimum, fateor, pater debebat Cæsari, quod in eius aula, literis, moribus, & disciplina militari informatus esset. Sed quicquid Cæsar patri meo ob nauatam strenue in expeditionibus eius operam, & vulnera pro eo accepta debebat, hæc omnia vno torque, & calcaribus aureis compensauit: licet ipse supra quam credibile est, benignus & liberalis esset. Sed eius voluntati res & facultas defuit. Cõmeatu a Cæsare impetrato, Iulius Cæsar Ferrariã, vbi antea a Benedicto vxor Berenica relicta erat, patris & fratris corpora detulit. Sed mater Berenica paulo post ex mœrore diem vltimum clausit.

clausit. Ita tria funera domestica vno tempore curauit. Nec vero vllum moueat, quod in Nymphis indigenis Benedictus pater ab eo inducatur vxorem Berenicam sub Nymphæ Napææ nomine deflens. Prolepsis enim poetica est: cum octauo post cladem Rauennatẽ die Berenica nuncio de Benedicti coniugis, & filij Titi cæde accepto, paulo post mœrore extincta sit. Amissis patre, matre, atq. fratre, nihil aliud supererat, quam sordidatum in perpetua egestate & luctu viuere. Veneti enim Ripam & reliquum Benedicti patrimonium iam tertium inuaserant. Ea tempestate non Scaligeri cognomine, sed Comitis à Burden vulgo notus erat. Atq. ita a Lilio Gyraldo Ferrariensi familiari suo quamuis deprauate nuncupatur, in libello de Poetis recẽtioribus. Quod cognomen, quandiu in Italia fuit, illi semper hæsit: ita vt raro Scaliger vocaretur, sed Iulius a Burden, aut Comes a Burden. Cum autem paupertas omni conditioni sit onus graue, tum nobilitati præcipue senium est, quoties per angustias rei familiaris hominibus summo loco natis emergere non licet. Sed hoc incommodum ab illo amolita est liberalitas Alfonsi Ducis primi, qui ei annua opima constituit, inque primis amicis & propinquis habuit, memor priscorum Scaligeræ domus in Estenses Marchiones meritorum, & contractæ bis Scaligeris cum Estensibus affinitatis. Neque vero Iulius tantam optimi Principis liberalitatem tacitam præteriuit: sed longo poemate, cui Eridano nomen fecerat, celebrauit. Eius poematis mentionem mihi aliquando factam a patre me-

 mini,

mini, priusquam in librum Gregorij Gyraldi de poëtis recentioribus inciderem, in quo etiam eiusdem poematis meminit, quamuis Elysium nō Eridanum vocet. Nam typis vnquā excusum sit, necne, ignoro. Sed cum Iuliū tæderet inertis vitæ inter aulicos Ferrarienses transigendæ, constituit primum, vt multorum mos est, præsertim nobilium Italorum in desperatione rerum suarum, habitum Franciscanū sumere, & sæculo, vt loquuntur, renunciare. Quare cum Bononiam venisset, cæpit Scoto operam dare. Atque is primus fuit illi philosophiæ gustus. Tamen nō multo post tepuit ille monachismi æstus, propter nescio quid ἄῤῥητον: quod tanti apud eum fuit, vt nunquam postea ad vltimum vsq. vitæ diem cum Franciscano vllo sermonem vltro serere voluerit. Ad animi & linguæ dotes accesserat decor regius corporis, & agilitas tanta, vt armis, saltu, equestri scientia omnes æquales anteiret: quibus rebus facile omniū animos sibi deuinxerat. Cum autem in Bononiensi Academia, quæ tunc & florentissima, & frequētissima erat, multi nobiles essent, qui literis operam darent, vix vllus fuit, qui non secum male agi putaret, qui in eius amicitia aliquem locum non obtineret: inter quos duo fratres ex antiquissima Plociascorum in Liguribus Taurinis, vnus item ex illustri Rouerorum familia, ad amicitiam eius sese applicarant, vt nunquam ab eius latere discederent. Quamuis iam in Philosophia progressus aliquot fecisset, tamen humanitas studiorum ferociam militarem nondum retundere potuerat, cum animus irrequies adhuc

Martem

Martem ſpiraret. Itaque quemadmodum in illa frequentiſſima Academia nunquam euitari poterat, quin nationes, vt ſolet, in diuerſas factiones & ſtudia diſcederent, atque inter ſeſe conflictarentur: ita ipſe nunquam effugere poterat, quin illi aliquod ſpecimen pugnæ edendi neceſſitas imponeretur. Non enim tum in ordinem cogebantur Scholaſtici Bononienſes, neque exarmabantur, vt hodie fit. Atque ideo plurimus in ore omnium erat Tonſus de Burden. Ita enim eum, quod ſtrictim tonderet, vocabat vulgus Italorum. Interea duo fratres Plociaſci, & poſt eos Rouerus a parentibus domum reuocati triſte congreſſus ſui deſiderium Iulio reliquerunt. Quod diſcidium ita impatienter tulit, vt & per multos dies publico abſtineret, & conſueta corporis experimenta intermitteret: quod illi tamen in bonum vertit: cum interea totus libris hæreret, & nunquam ab illis ſine fructu diſcederet. Et iam non minor eruditionis eius, quam virtutis militaris opinio erat. Quippe publice quotidie diſputans eoſdem oculos in ſe conuertebat, quos antea in admirationem fortitudinis ſuæ rapuerat. Sed duæ curæ illum maxime exercebant, & à literarum ſtudiis cogitationem eius auertebant; deſiderium Plociaſcorum, & armorum quotidie recrudeſcens amor. Quæ duo cum impatienter ferret, relicta Bononia, mediocriter viaticatus, quantum ſcilicet patiebantur facultates hominis, qui & ſua omnia amiſerat, & in alienis modicam ſpem repoſuerat, ad Caſtrum Nonnum Ligurum Taurinorum, cuius Plociaſci domini

 erant,

erant, sese contulit. Quantiis autem domus in luctu esset, ob recens funus patris Plociascorum, tanta gaudij significatione a dominis exceptus est, vt non domum in luctu deprehendisse, sed lætitiam domum intulisse videretur. Non diu in Nonno Plociascorum castro fuerat, cum in Vicum nouum patrimonij Rouerorum proficiscitur, ab ipsis loci dominis, quibus antea Bononiæ familiariter vsus erat, literis accitus. Hactenus eius vita instabilis, & desultoria fuit, multis iactata periculis, nullo coalescens otio. Hæc autem domus vt corporis fugam sistere, ita animum vagum atque æstuantem continere valuit: quanquam armorum semper rebellans affectus non sinebant hominem quiescere, præsertim in iis locis, in quibus propter Gallica bella, nulla dies sine aliquo armorum tentamento transibat, siue hostis excipiendus, siue expeditio in hostem instituenda esset. Nam ex quo eius virtus tam ducibus Gallicis, quam nobilitati Ligurum Taurinorum nota esse cœpit, ab illis quotidie studiis militaribus prouocabatur. Ex eo ipsi etiam Proregi notus, & carus, turmam equitum centum leuis armaturæ adeptus, excursiones quotidianas summa cum laude faciebat. Applicarant sese illi multi ex nobilitate regionis, vt Plociasci, & Scalengi, qui se proauis nostris oriundos prædicabant: aliique multi præterea, qui ob locorum & regionis peritiam sæpe illi exploratorum loco erant: eorumque indicio hostium copias & pabulatores repentinis incursionibus oppressos inuadebat. Forte per eosdem certior fit manipu-

lum

lum hostium cum ala equitum, superato iugo, per decliuia collis laxo agmine descendere, mandris mulorum pone sequentibus, & Vercellas, quantum ex longinquo colligere licebat, tendentibus. Eæ, vt exitus declarauit, pecuniæ Ducis Sabaudiæ magnam vim, & suppellectilem preciosam gestabant. Simul admonetur ab exploratoribus, spem egregiæ victoriæ, & ingentis prædæ obiici, cuius potiundæ vim in sola diligentia repositam esse. Itaque cum ea copia, quam habebat, magno progressu ad latera collis improuisus peruenit: neque se hosti prius ostendit, quam in planis totum agmen cum impedimentis constitisset. Commisso acriter cum equitibus prælio, diu magna contentione ad multum diei pugnatum est: donec duce alæ & aliquot aliis interfectis, reliquis sine cæde viuis potitur. Pedites cæde equitatus sui perterriti, traditis armis, deditionem faciunt. Itaque ingenti præda potitus, impedimenta omnia, & magnum captiuorum numerum abduxit, in quibus erat Anna Ducis Sabaudi concubina, mulier egregia forma, & Thomas ille Franciscanus, decantatissimus Agyrta, quatuor millibus coronatorum instructus, quæ ipse histrionicis concionibus suis, & aliis vernilibus technis in Gallia per aliquot annos quæsiuerat. Annam in arce vici noui pudice a matronis nobilibus habitam Dux paulo post precio redemit. Thomæ non alia redemptione opus fuit, quam illis, quæ secum gestabat, quatuor millibus aureorum, quibus Galerum Cardinalitium redimere constituerat. Sed cum amissos num-

mos

mos nulla ſpes recuperandi, aut reparandi eſſet, mœrore vitam paulo poſt finiuit. Etiam me puero tritiſſimum fuit inter homines militares tam in Gallia, quam in Liguribus Taurinis, Ducem Sabaudiæ, poſt amiſſum imperium ſuum, nihil acerbius tuliſſe, quam lectiſſimorum equitum ſuorum cædem, & pecuniæ atque precioſiſſimæ ſupellectilis iacturam. Idque contigiſſe notabant, cum Thomas Franciſcanus, & Anna concubina capti fuerunt. Ideo vtriuſque a nobis iniecta mentio, non quod tanti fuerit, de plano & muliercula triumphatum eſſe: ſed vti, quemadmodum de Thoma & Anna, ita de duce, cuius auſpiciis id damnum Sabaudo illatum eſſet, conſtaret. Nam patris nomen ideo ignoratum puto, quod non Iulius Scaliger, ſed Iulius a Burden vocaretur. Victor reuerſus, nemine de ſuis deſiderato, honorifice a Prorege laudatus, & poſtea Regi Fanciſco, qui ſuperatis Alpibus, in Vicum nouum Rouerorum diuerterat, eo nomine plurimum commendatus, vt iuſta ſtipendia turmæ ſuæ ex regia gaza procederent, impetrauit. Extra ordinem enim eam a Prorege obtinuerat, & ex nobilibus voluntariis, amicis ſuis, fere ſuppleraт. Quamuis eum æſtus quidam militiæ armorum amore potius, quam odio quietis tranſuerſum ageret: tamen literarum, quibus prima eius pueritia ſub Maximiliano Cæſare exculta fuerat, obliuiſci non poterat. Itaque vbicunque a militiæ laboribus reſpiratio daretur, quas Bononiæ reliquiſſe videbatur, ad eas furtim dulcedine quadam rapiebatur: quem ardorem accendebat vſus &

familia-

familiaritas medici Taurinenſis neſcio cuius, & Pharmacopolæ rei herbariæ peritiſſimorum: qui vbi eum ſemel & iterum in montana ad herbarum inueſtigationem deduxiſſent, accidit, vt eum nihil minus, quam talę cogitantem alter diſputationibus ſuis, alter peritia ὕλης ἰατρικῆς ad medicinæ ſtudium incitarent. Iam Bononiæ eos in Ariſtotele progreſſus fecerat, vt & magiſtris ipſis diſputando admirationi eſſet. Itaque conquiſitis Taurino Hippocratis, & Galeni libris, quos quidem tum nanciſci per bellum licuit, adhibito in conſilium Ariſtotele ſuo, breui effecit, vt non ſolum familiarem ſuum medicum Taurinenſem, quem vnicum ad medicinam incentiuum habuerat, ſed & ſummos medicos ſuperaret. Oneris militaris ſolicitudo, & literarum amor eo illum perduxerant, vt, cum vtrique functioni pro dignitate ſatisfacere vellet, noctes diebus, & munia militaria ſtudiis continuando, rationem valetudinis non haberet. Quare annos natus triginta quinque, ex nocturnis laboribus militiæ, & lucubrationibus literariis, item cæli inalpini inclementia, arthritidem contraxit: cuius prima tentamenta adeo acerba fuerunt, vt multos menſes decubuerit. Valetudo reſtituta priſtinis eum militiæ & literarum ſtudiis reddidit, adeo præteriti morbi oblitum, vt non ſolum ab iis, quæ valetudinem vitiarant, non temperaret, ſed & noua vltro morborum irritamenta arceſſeret. Nam cum hactenus Græcas literas ignoraſſet, eas anno poſt primum morbum auidiſſime proſecutus, incredibili celeritate didicit. Sed

pertinaciſſimarum vigiliarum acerbiſſimas pœnas luit, multo acriore, quam antea, arthritide repetitus. Itaque intermiſſa contentione militiæ, & abdicato turmæ ducatu, ſtatuit literarum ſtudiis reliquum vitæ tempus tranſmittere, tædio prioris inutiliter actæ, cum iam annum quadrageſimum exceſſiſſet. Quare vere dici poteſt, vnicam domum illuſtrium Rouerorum ei & belli arcem, & Athenæum fuiſſe. Erat in gente Rouerorum Epiſcopus Aginnenſis, Præſul ditiſſimus, ſingulari bonitate, & pietate, promotus ad eas opes a Sixto, & Iulio Pontificibus Maximis, Rouerorum propinquis. Cum illi ex officio neceſſitas incumberet diœceſim ſuam inuiſendi, valde pigebat hominem priſca ſimplicitate, & peregrinandi inſolentem Alpes tranſgredi, quaſi in Colonias noui orbis tranſcriberetur. Ad eum metum accedebat ætas ingraueſcens, & valetudo cuilibet mutationi opportuna. Quia vero aut omnino migrandum erat, aut epiſcopatus abdicandus, ſatis ſe ad ancipites caſus valetudinis munitum credens, ſi Iulium Cæſarem ſibi comitem viæ adhiberet, eum per amicos tentatum, mox ipſe priuatim precibus & blanditiis aggreditur, quod crederet ad hoc iter ſuſcipiendum haud facile inductum iri. Neque opinio eum fefellit. Præciſe enim negauit Italiam Tranſalpinis regionibus mutaturum. Cum diu pertinacia propoſiti fruſtra oppugnata eſſet, tandem manus dat ea conditione, vt non amplius, quam octo dies Aginni detineretur. Quid enim ſibi cum ea gente, cum qua ne vnum quidem diem viuere poſſit? Sed

hæc

hæc erant verba hominis & amœnitatem Aquitaniæ, & rerum euenta ignorantis. Nam qui octauo die reuerti pactus erat, eodem ipso tempore caussam consilij mutandi nactus est. Educabatur tunc Agini apud Auiam nobilem matronam puella lectissima Andietta de Roca Lobeiaca, annos nata XIII. Eam primum visam ita deperire cœpit, vt pactam prius cum Episcopo de reditu in Italiam conditionem amori eius posthaberet. Cum itaque nuptias eius petentem propinqui puellæ caussando eius quidem iam ingrauescentem, puellæ autem acerbam ætatem, sæpe summouissent: non tamen iccirco quicquam de contumacia aut amandi aut petendi remittebat: qua tandem effecit, vt triennio post homo annorum quadraginta quinque puellam sexdecim annorum vxorem duceret: cum qua annos vndetriginta vixit, ab anno cIↄ. Iↄ. XXIX. ad annum cIↄ. Iↄ. LVIII. relictis de quindecim septem liberis superstitibus. Quicquid is sibi, & publicæ vtilitati vixit, id omne vxori acceptum referri debet. Illa desultoriæ vitæ fluctus & errores composuit: animum vagum & ad incerta transuolantem pudicis suis moribus retinuit: cum ipsa totius rei familiaris onera sustineret, & virum omnis molestiæ securum præstans sic vacuũ ad studia literarum remitteret. Illa tumidum & iracundum sæpe morigeratione sua placauit, & solennibus podagræ inuasionibus repeti solitum charitate coniugis, sedulitate ancillæ curauit, certa, spiritum suum in spiritu viri verti, ideoque sibi consulere, cum illi consultum vellet.

De eius forma supra quotidianas pudentius est seniores Nitiobriges, qui hodie supersunt, quam filium, referre. Nemo ex illis est, qui eius vel minimam mentionem fecerit, qui non protinus dotes animi & corporis laudauerit. Origo eius ex antiquissima & nobilissima gente dominorum de Roca Lobeiaca in Cadurcis. Auus Benardus, homo contumax, & præfracti ingenij sub Ludouico XII. caussam capitis dicens apud Senatum Tholosanum interfecti a se domini de Lusechio patruelis sui, necessitatem supplicij a se depulit, transactione cum orbis facta, & omni iure Rocæ Lobeiacæ a se in illos translato. Ita Arcem suam longa maiorum serie ad se transmissam liberis interfecti transcripsit, & auito patrimonio exutus Aginnum Nitiobrigum sese cum liberis suis recepit, vxore annis ante aliquot amissa. Huius filius Alanus, Andieta filiola bimula relicta, admodum iuuenis decessit. Vetustatem eius gentis præter alia, quæ in Cadurcis supersunt, argumenta, refert sepulchrum Episcopi Aginnensis ante hos quadringentos annos plus minus vita functi, quod visitur hodie in Basilica Stephani cum vetustissimis Dominorum de Roca Lobeiaca insignibus in pariete cellæ, quæ Marianæ iuncta est. Hactenus de Iulij patris mei vita ea perstrinxi, quæ ad eius memoriam spectare arbitratus sum. Nam omnia perscribere, hoc esset annales condere. Statura fuit procera, & ad decorum erecta, regio, & augusto ore, colore fusco, artubus torosis, corpore exercitatissimo. Nam vt in aula Maximiliani Cæsaris, sic in

nostra

noſtra Aquitania, omnes in omni genere palæſtræ, equitando, & armis dimicando ſuperauit. Ac quamuis iam podagra articulos fregiſſet, tamen adhuc equos domi alebat, quos in campo viridi domitabat, qui ripam Garumnæ & Aginnum interiectus eſt, quo campo neque porrectiorem, neque amœniorem vlla vrbs Gallicana habet. In quo cum Carbone illo nobiliſſimo Aquitano, & acerrimo pugnatore, ludicro certamine, haſtis confligens, hominem equo deiecit: cum tamen hactenus Carbo tam in Aquitania, quam in Liguribus Taurinis in Ludicris equeſtribus primas obtineret, & in illis inuictus haberetur. Sariſſa aut Sibyna correpta, ei innitens in templorum culmina erepebat. Apprehenſa vtroque pollice tina ſatis alta, in eam collecto ſaltu deſiliebat, atque in eodem ſtatu compoſitus corpus in ſublime ſubiectum extra tinam expediebat, fruſtra idem tentante, quæ tum intererat, Vaſconica nobilitate. Annos ſexaginta duos natus, manibus arthritide debilitatis, trabem ingentem & prægrauem, quam quatuor operæ moliri non potuerant, & ipſe ſolus loco manibus ſuis labefactauit, & quo deſtinatum erat, traduxit. Referrem plura & militaris & campeſtris diſciplinæ ab eo edita exempla, niſi lectorum faſtidio occurrerem: quorum multi tam libenter ea vituperant, quam inuiti legũt: in quibus eſt Lucumo Becceſelenus, quo nemo impudentius & licentius abuſus eſt ingenio & otio ſuo, qui inuſitata ruſticitate patrem meum deridet, quod Pyrricham armatus coram Cæſare Maximiliano ſaltaſſet.

O stolidam, & barbaram impudentiam! Sed Martucinus eadem leuitate hominum nobilium & ingenue educatorum studia & artes carpere potuit, qua Mosem subsannat, quod Hebraice potius, quam Brabantice nomina veterum patriarcharum interpretatur. Et tamen illæ Origines incertum impiæ magis, an ineptæ, editæ sunt cum venia eorum, qui omnia scripta ad censuram suam reuocant, & nihil iniussu suo publicari volunt, Sed quanquam ab initio tot aduersarios habuerimus, quot ille admiratores nactus erat: tamen omnes eius plausores iam tepescunt, & saturi de illo theatro ante complicatum aulæum discedunt. Ea est lasciuia & leuitas plebeiorum iudiciorum. Non solum igitur in Pyrrhicha, quam in homine nobilissimo irridet Terræ filius, sed etiam in omni palæstra, quam hominem tali ortu, & in aula Cæsaris eductum scire oportebat, solers fuit. Quæ ideo retuli, non vt a vulgaribus meritis ei laudem captem: sed vt mirentur omnes, eum á duris militiæ studiis, in quibus altus & subactus fuit, ad otium literarum traduci tandem potuisse, præsertim seueris Bonifatij patrui imperiis a prima vsq. pueritia assuefactum, ad cuius nomen & mentionem etiam adultus totus tremiscebat. Erat enim homo acer, ferox, impatiens quietis, rigidus disciplinæ militaris exactor & expensor. Contra frater eius maior natu Benedictus, erat homo lenissimus & moderatissimus, vt qui eius fortitudinem & gnauitatem ignoraret, lenitatem hanc lentitudinem interpretari posset. Itaque ex duobus filiis Benedicti,

patruus

patruus Iulium Cæſarem, pater Titum ex ſimilitudine morum ſuorum magis diligebant. Ac quemadmodum Benedicto homini placidiſſimo vxor imperioſa, factioſa, elata, (quales ſemper animos producere ſolet gens Lodronia) ſemper aliquid magnum, ac ſupra fortunam profugi mariti ſpirans: ita Iulio filio iracundo & ad leuia momenta irritabili contigerat vxor, quæ tum prudentia ſua irarum ſurgentes motus præſentiret, tum patientia atque indulgentia eluderet. Igitur & militia & arthritide fracto, Philoſophia & literæ manum tandem iniecerunt, & mollibus diſciplinarum ſuarum imperiis contumacem animum ſubegerunt. Neque vero obſtitit ὀψιμαθία, quin quod alij longo tempore, ille pertinaci labore aſſequeretur, quamuis ante quadrageſimum ſeptimum ætatis annum nihil ediderit, neque ante id tempus totum hominem ſibi plane ſubieciſſent literæ. Adhuc enim & corpore & animo inter nobilitatis Vaſconicæ ludicra certamina, & conuiuia peregrinabatur. Sed poſtquam morbus iam olim domeſticus eum lecto affixit, & quemadmodum corpori facultatem, ita animo voluntatem vagandi ademit: nullum tempus a ſtudiis literarum & lucubrationibus vacuum relinquebat. Quo factum, vt eodem tempore nemo eo neque plura neque meliora ediderit. Quæ omnia ſuperioribus bellis ciuilibus cum domeſtica ſupellectile direpta intercciderunt fere. Quoties arthritis ei vſum ſcribendi adimebat, tunc, vt Ennius loquitur, poetabatur, & quotcunque verſus noctu conceperat, mane, ſi per

frequen-

frequentiam eorum, qui illum conſulebant, aut officij cauſa inuiſebant, liceret: ſin autem, veſpere, poſtquam omnis turba illa dilapſa eſſet, dictabat. Ac tanta erat memoriæ felicitas etiam in extrema ſenectute, vt ducentos verſus in Viueſiano prædio mihi dictarit, quos die priore conceptos propter viſitatorum officium recitare diſtulerat. Neque vero minor fuit εὐστοχία eius in colligendis ex vultu hominum moribus, iudicio potius, & vi quadam animi occulta, quam vanitate Phyſiognomonica. Neque profecto vnquam in eo fallebatur. Prodigioſa etiam vſque ad miraculum ex ſomniis vaticinatio. Vnum de multis referam. Cum Heroum ſuorum opus contexens ad multum noctis lucubraſſet, abſoluto libro, poſt cænulam quiete compoſitus imaginatus eſt, in æde Mariæ Antiquæ Veronenſis, vbi ſunt monimenta gentis noſtræ, hominem procerum, ac grauem ſibi obuiam factum ſecum expoſtulare, quod ſe inter Heroas ſuos non collocaſſet. orare igitur, vt hoc faceret: ſe Benedictum Brugnolum eſſe, domo Leniaco, qui patrem Benedictum ac patruos literas primas docuiſſet: ipſum quoque puerulum aliquando inter vlnas geſtaſſet. Venetiis ſe vltimum diem obiiſſe, ibique ſepultum eſſe. Experrectus ſomnium elegia elegantiſſima expreſſit, quæ calci Heroum addita eſt. Ipſe vero nunquam ſciuit, quis eſſet Brugnolus ille, neque quid portenderet ſomnium. Et profecto ego quoque nihil vnquam aliud, quam ſomnium credidi, donec anno CIↃ.IↃ.LXVI. cum eſſem in Italia, & M. Antonio Mureto expo-

exposuissem me habere in animo Venetias proficisci, ille inter alia, quæ in ea vrbe digna cognitu sunt, refert monimẽtum esse Benedicti Brugnoli Leniacensis excellentissimi æuo suo Grammatici, qui, vt eius epitaphium fert, & principes & proceres æui sui in Norico literas docuerit. Id sepulcrum dignum esse, quod studiosos antiquitatis oculos moraretur. Neq. tamẽ magis meminerat Muretus somnij patris mei, quam pater meus sciebat, quis esset Benedictus Brugnolus. Legat totam elegiam, qui volet, & inueniet quod satis mirari non possit. Porro multarum linguarum peritus fuit, Sclauonicæ, Hungaricæ, Germanicæ, idiotismi Græci, Italici, Hispanici, & Francici. Sed Francicum tribus mensibus, postquam Aginnum venisset, perfectissime loquebatur: cum tamen & Vasconicum simul didicisset. Maior enim longe differentia linguæ Francicæ, & Vasconicæ, quam Flandricæ & Germanicæ. Oculis fuit cæruleis dilutioribus, quibus interdum noctu videbat, vt in crepusculo solemus. quod & mihi contigit, a pueritia ad vicesimum tertium annum. Nam postea hoc in me, vt alia multa, mutauit. Munditiarum & cultus corporis studiosissimus fuit. Quemadmodum in Italia, quod solus strictim tonderet, Tonsus vocatus fuit, ita in Aquitaniam solus barbatus venit. Mendacium ita auersabatur, vt & ad mentionem ipsam excandesceret: & nihil prius veritate ac pietate in Deum nobis commendabat. Nunquam memini nos pueros coram eo sisti, quin primum illud præcéptum inculcaret, Non mentiri. Si aliquem

 menti-

mentitum ſibi deprehendiſſet, nunquam poſtea cum illo in gratiam redibat. Dicebat enim omnem Chriſtianum ſine vlla exceptione a mendacio alienum eſſe debere, nobilem autem hominem, etiam ſi Chriſtianus non eſſet. Sed & in Atheos, quorum illud ſæculum feraciſſimum erat, inexpiabili odio flagrabat. Petrus Rufus Conſiliarius Aginnenſis, qui illi ob doctrinam chariſſimus erat, vt qui & ſummus Peripateticus, & iuris ciuilis Romani conſultiſſimus eſſet, hoc morbo animi laborabat. Nunquam ceſſauit, donec amicum ſæpe conuiuio adhibitum, aut diſputationibus confectum, aut precibus delinitum ad meliorem mentem reuocaſſet, tradito illi Auguſtini Eugubini de perenni Philoſophia opere, quod illi viam ad veram Dei cognitionem muniret, quandoquidem a Rufo nunquam exprimere poſſet, vt ſacra Biblia conſuleret, a quibus Rufi animus abhorreret. Et ſane ea lectio Rufo ſaliuam mouit adeo, vt totum ſe protinus ad Theologiæ ſtudium conuerteret: in quo tantum profecit, vt nemo acrius aut veram pietatem defenderet, aut atheiſmum oppugnaret. Erat enim acerrimus & acutiſſimus diſputator. Neque ſolum Rufum ſummum virum, ſed & ſciolos quoſdam hoc morbo leuauit. Mira ſiquidem eius erat pietas: ſed præcipua etiam in pauperes charitas. Sub finem autumni pannos emi curabat, quibus pauperes induebat, & a frigore in totam hiemem defendebat. Cum autem eis cibus miniſtrandus eſſet, nos puerulos adhibitos monebat, eos fratres noſtros eſſe, ideoque eos a no-
bis

bis fraterna charitate amplectendos : & protinus manibus nostris ad promumcondum deduci præcipiebat. Eos etiam ægrotos tecto recipiebat, & industria sua curabat, & sumptibus propriis subleuabat, re Pharmacopœis, & Chirurgis de suo soluta. Domum eius publicam dixisses. Tot proceres, tot mediæ & infimæ conditionis homines in illam quotidie confluebant: vt meminerim sæpe tantum hominum domum conuenisse, vt cibum sumere illi non vacaret. Quot homines ab Orco, vt ita loquar, reuocauerit, non dicam. Sed si priscorum illorum Heroum sæculo hoc fecisset, supra Æsculapium cultus fuisset. Cum primum Aginnum venit, neminem deprehendit, quocum de literis verba faceret. Tunc enim primum illæ in Gallia nascebantur beneficio Regis Francisci Magni. Sed Burdegala nunquam caruit doctis viris. Nam & in amplissimo Senatu nō pauci erant docti, ex quibus præcipuo amore dilexit Arnaldum Ferronum, & Vidum Brassacum Golardum, virum nobilissimum. In Gymnasio autem Aquitanico Burdigalensi tunc erant Buchananus, Muretus, Teuius, alij. at qui viri? Ij quotannis feriis Vindemialibus Aginnum Iulij Cæsaris visendi commeabant, quos & tecto & mensa excipiebat. Negabat enim sibi rem cum podagra esse, quoties tales conuiuas haberet, quibuscum de literis loqui posset. Scio me nimis multa de eo scripsisse, & modum ab initio promissum excessisse. Sed supersunt seniores, qui longe plura dixerint, & mihi fortasse vitio verterint, quod illustriora omiserim. Ego

vero vnum tantum mihi propoſui, ſtrictim exponere, quod eius vitæ genus fuerit ab incunabulis ad prima militiæ tirocinia: hinc ad cladem Rauennatem, & ab ea ad tranſitum Alpium, & conſequenter ad vltimum vitæ diem. Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. LVIII, qui erat eius vitæ ſeptuageſimus quintus, propter anni intemperiem valde æſtuare cœpit. Ad æſtum leuandum ſucco Albatęcæ, vt Hiſpanis dicitur, vt nobis Vaſconibus, Aubiecæ, ſupra vires ſeniles vſus, ex adſtricta ob cruditatem illius fructus veſica, languorem nactus eſt: quo in diem ingraueſcente ne ſtillam quidem vrinæ per XIX dies continuos emiſit. Balneo, quod ipſe ſibi præſcripſerat, refotus, vrinæ quidem obſtructos meatus reſturauit: ſed corpus ſenile inedia & diuturno morbo emaciatum nullo remedio reficere potuit. Quare quadraginta duos dies cum illo languore conflictatus, XII. Kal. Nouembris obiit, maximo omnium dolore, & luctu, quem in exequiis eius magnificis teſtati ſunt, quales fieri ipſe teſtamento vetuiſſet, quo etiam cauit, ne vllum aliud Epitaphium monimento ſuo inciderctur, præter hæc verba: IVLII CAESARIS SCALIGERI QVOD FVIT. Hunc finem habuit vir vetuſtate generis, quæcunque ea eſt, niſi ad fabulas recurratur, nemini ſecundus. Sed non parum fecit, quod hominis priuati in Nitiobrigibus ſummum faſtigium attigit, qui principis imum in patria tenere noluiſſet. Officia principis amiſit, hominis exercuit. Imperium ampliſſimum, & ditionem multarum ac potentiſſimarum vrbium amiſerant maiores

eius.

eius. Hæc ille non morabatur, certus ſi quid ſplendoris ex illa fortuna redundabat, id totum non ad ſuam, ſed ad maiorum ſuorum virtutem referendum eſſe. Imo abſurdum non eſt, in maioribus eius quoſdam in tantis opibus nulla oris aut corporis dignitate fuiſſe: quæ tanta in illo erat, vt nemo vnquam eum viderit, quin protinus dicere iure poſſet, —εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et certe omnia eius, corpus, inceſſus, geſtus, oratio, ſtilus, libri nihil vulgare redolent. Propterea pauci eius libros attingunt, niſi qui nihil plebeium ſapiunt. De ſcriptis eius dixiſſem, niſi iam olim de illis vulgo notum eſſet. Habes, vt puto, mi Douza, quod poſtulabas: ſi non, quod ſatis fuerit. Epiſtolam enim, non hiſtoriam ſcribimus: &, vt inquit Plinius Cæcilius, aliud eſt amico, aliud omnibus ſcribere. Liberos ex quinque maribus, quatuor: feminas ex decem, três reliquit. Audectus quinquennio ante me natus primus ex maribus orbos parentes fecit. De quo tam verum eſt, quod dicam, quam mirum. Cum ea eſſet illius infantis indoles, quæ non ſolum parentes, ſed etiam extrarios in amorem ſui inuitaret, & vt ratio poſtulat, pater eum impendio amaret· tamen non poterat ſibi temperare, quin, quoties in puerum oculos coniiceret, vultum triſtitia contraheret, & ſigna animi mœrore depoſiti cum gemitu ederet, ita vt mater non difficulter colligeret, patrem ſaluti filij diffidere. Cum cauſam doloris ex viro exquireret, ille caueret a nutrice vinoſa, monere: ſibi exploratum eſſe puerum ſuffocatum iri. Cum quotidie hanc curam ma-

tri obiiceret, cæpit & ipsa quoque serio timere. Itaque accidit, vt noctu surgens nutricem puero indormientem deprehenderet, ore eius in os pueri impresso, adeo vt puero exanimando punctum temporis deesset: qui ægre ab ea oppressione refectus est. Cum iterum, & tertium in maiore periculo puerum offendisset, ebriosæ mulieris culpa, ante tempus ablactatum puellæ pedisequæ custodiendum & regendum commisit. Miseram parentem nutricis amolitione periculum a capite filij depulisse, sese autem defunctam omni metu existimantem nihilo securiorem pater esse sinebat: Quare cum gerula puerum insanum in modum amaret, nocte quadam dormiens misellum inter arctissimos complexus exanimauit. Ita patris vaticinium infelix exitus comprobauit. Leonardus anno minor me a duodecim sicariis oppressus & obtruncatus est ad Laudunum oppidum Pictonum superioribus bellis ciuilibus. Ianum Constantium minorem me quatuor annis factio nobilitatis per æmulationem in Transsiluania interfecit, cum castro cuidam regendo a Stephano Despota, qui postea Poloniæ rex fuit, impositus fuisset. Ambobus fortitudo sua, & rara indoles exitio fuit. Ex quibus Leonardus auo Benedicto, Constantius autem propatruo Bonifacio simillimus erat. De cuius fortitudine nihil dicam, ne fabulis similiora, quam vero dicere videar. Siluium maximum omnium natu; annis totis decem maiorem me morbus in dotalibus agris Nouempopulaniæ extinxit, annum agentẽ ætatis quinquagesimum quin-

tum

tum. Quatuor fratribus ſolus ego ſuperſum decimus partus matris meæ, natus anno CIↃ. IↃ. XL, Aginni Nitiobrigum, pridie Nonas Auguſti, horis quatuordecim poſt meridiem: vt meus natalis Nonis attribuatur, tempore politico. Annus, in quem incidit natalis meus, in omnibus Chronicis, & Annalibus nobilis eſt ardentiſſimis æſtibus, & vindemia Solibus exuſta, præterquam vbi acerba cogi ſolet, vt in Heluetiis, & aliis frigidis tractibus, in quibus eo anno perfectiſſima vini coctura fuit. Ex ſacro lauacro ſuſcepit me in æde Hilariana vir nobilis Gerartus Landa, qui me non de nomine ſuo, quod auerſabatur, ſed Ioſephum Iuſtum nominauit. Prius nomen, vt vulgo vſitatius, mihi hæſit: altero raro, niſi a patre etiam iam grandior appellatus ſum. Annos natus vndecim cum Leonardo & Iano Conſtancio fratribus Burdegalam a patre miſſus, triennium primis elementis Latinitatis operam dedi. Inde peſtilentia exactus ad patrem me recepi. Qui, quandiu apud eum fui, (& quidem, quandiu vixit, fui) a me quotidie declamatiunculam exigebat, facto mei arbitrij argumento, quod ex aliqua hiſtoria peterem. Hæc exercitatio & vſus ſtili quotidiani Latine me ſcribere aſſuefecit. Quia vero verſus patris excipiebam, ex hac neceſſitate aliquem ſaporem poetices imbibi. Itaque & verſu & proſa oratione neſcio an aliis, certe patri pro captu ætatis ſatisfaciebam. vt aliquando me ſeductum rogaret, vnde ſententias illas, & colores depromerem. Ego id, quod erat, mea illa, & de meo eſſe, reſpondebam. Sed admiratio-

mirationē apud amicos diſſimulare non potuit Tragœdiæ Oedipi primæ fœturæ ingenij mei. In quam, quantum ætas illa patiebatur (minor enim annorum XVII. eram) omnia poetices ornamenta & verborum delectum impenderam. Et ſane, ſi bene memini, eiuſmodi erat ille abortiuus partus, vt eius me ſenem pœnitere non debeat. Anno ætatis meæ decimonono Lutetiam poſt obitum patris petij literarum Græcarum amore, quas qui neſcirent, omnia neſcire putabam. Poſtquam menſes duos operam Adriano Turnebo dediſſem, quia deſtitutus aliis præſidiis operam omnem in eius doctiſſimo auditorio ludebam, in muſæum me abdidi, & in illo piſtrino incluſus, quod ex aliis non potueram, me magiſtro diſcere experiebar. Igitur vix delibatis coniugationibus Græcis, Homerum cum interpretatione arreptum vno & viginti diebus totum didici: poeticæ vero dialecti veſtigiis inſiſtens Grammaticam mihi ipſe formaui: neque vllam aliam didici, quam quæ mihi ex analogia verborum Homericorum obſeruata fuit. Reliquos vero poetas Græcos omnes intra quatuor menſes deuoraui. Neque vllum oratorem, aut hiſtoricum prius attigi, quam poetas omnes tenerem. Biennium continuum Græcis literis impenderam, cum ad Hebræas me impetus animi rapit. Et quamuis ne vnam quidem literulam in ea lingua noſſem: tamen ad eam diſcendam nullo alio magiſtro, quam me ipſo vſus ſum. Intra illud triennium, & deinceps multa verſu in vtroque ſermone luſimus: multa de Latinis Græca fecimus, in quibus

bus studuimus, vt non solum Græca essent, sed etiam ne aliena viderentur. Multi enim hodie cum laude Græcos versus scribunt, sed pauci cum ea felicitate, quam in Græcis exigas. Poteramus & edere nostra, appositis ætatis annis, vt fecit Politianus in suis Græcis poematiis, quæ, præter pauca, digna erant, quæ in adolescente potius amaremus, quam quæ a seniore Politiano venditarentur. Sed nostra edere, odium ambitionis, a qua semper alieni fuimus, prohibuit: quamuis ea edere & nunc quidem sine fraude nostra liceret. Scripsi enim illa non tanquam publicaturus, sed tanquam amabili insaniæ, quæ nos ludebat, indulgens. Testor vero meam culpam non esse, si inuito me, aut iniusso, quidam versus claustra refregerunt. Multa in auctores vtriusque linguæ obseruauimus, ex quibus immanes partus nasci possent Variarum, Antiquarum Lectionum, Miscellaneorum, & aliorum eiuscemodi, quibus hodie Philologorum ambitio lasciuire solet. Non quod eiuscemodi scriptionis genus inutile putem, aut in vllo scriptore hæc reprehendam: non enim ita insanimus: sed quia talia ab aliis edi, quam a nobis, malumus. Vt tamen nobis vigiliarum nostrarum fructus constaret, interpretandos & emaculandos auctores integros suscepimus. Hoc enim sine vlla ambitionis suspitione nos recte facere posse iudicauimus. In quibus auctoribus si eruditis lectoribus non satisfecimus, id quod nos non fugit: excusauerit totum genus vitæ meæ desultorium, & otij, quo maxime studia alun-

tur, penuria. Nam ab anno CIↃ.IↃ.LXIII, ex quo in contubernio generosi Ludouici Castanei Rupipozæi esse cœpi, ad hanc vsque diem, nullum tempus mihi aut a peregrinationibus, aut ab animi perturbationibus vacuum fuisse memini: vt maleuoli intelligant, otium, quod ipsis ad maledicendum superfuit, nobis semper ad discendum defuisse. Immane enim quot & quantos hostes peperit mihi non iniuria priuata vlla (nihil enim mihi consciui, quo alicuius boni animum offenderem) sed propensa literas iuuandi voluntas: cuius male relatam mihi gratiam dolerem, nisi viderem hoc genus hominum morbo quodam animi potius, quam iudicio ad hoc agi. Quotidie aliquis mihi succrescit aut furiosus, aut flagitiosus, aut indoctus, qui mihi oblatret. Neque enim vllus profecto hactenus *oblatrauit, qui non vna ex illis tribus virtutibus, aut etiam tribus simul, exornatus fuerit. Quod me multum consolatur. Contrarias enim istis moribus virtutes oportet esse, quas ipsi in me insectantur. Præter sciolos, aretalogos, & sophistas, exortus est, nescio quis, vt audio, furiosus Florentinus, quem quidam alastores populares sui in obtrectationem mei & incitarunt, & vltro adiuuarunt. Quippe iis instructum, quibus genus meum, & existimationem lædi posse putarunt, ad diffamatorij libri scriptionem subornarunt, & misero illo furoris & inuidiæ suæ ministro vsi sunt. In quibus vnus illi testimoniũ Agyrtæ illius Villanij* de fabro scalario auctore generis nostri

nostri suppeditauit: neq. eo contentus, Sansouino vt idem scriberet persuasit. O homines astutos! Plumbeis pugionibus nos iugulant, cũ de nobis nihil adferunt, quod non illorũ capiti vertat. Ego illum horribilem & sacrum librum non vidi, præter Titulum: quo putat apud populares suos vendibilem mercem suam extrudere, cum me obtrectatorem nominis Italici vocat. Hic igitur titulus homines Italos, si qui inter illos otiosi sunt, ad totum librum legendum inuitabit, qui alioqui limis oculis & titulum ipsum præteriissent. Ostendant mihi, cui obtrectatus sim. Si mihi necessitas imposita esset alicui obtrectandi, & ita insanirem: cur potius Italis, quam Germanis, aut Gallis meis? οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδέ ποτ' ἵππους. Quis effusior vnquam in laudes eius gentis, quam ego? Iurare possim liquido me plures & meliores viros amicos in Italia habere, quam vllum obtrectatorem meum Italum. Quod si furore actus aut per lasciuiam toti genti odium aut bellum indicerem, tamen propter eos, quos multos in ea gente & colo, & obseruo, à furioso instituto desisterem. Si vero sunt, qui me eo amentiæ progressum putent: tantũ abest, vt eos in Italorum numero habeam, vt ne in hominum quidem censeam. Qui librúm illum dignum auctoribus suis, me autem indignum legerunt, aiunt tenebrionẽ illum putare me auctorem nescio cuius libri, qui eius inscitiam, & amentiam, qua omnes bonos insectatus est, exagitarit: ac propterea, dum auctorem vulneris sui persequitur, obuium corni-

bus incursare, more sauciarum ferarum, quæ in eos, quos obiecit casus, sæuiunt. Esto: ego sim auctor eius libri: & ita otium mihi sit ab re mea, vt curem, quid deliret Corybantes in vrbe Florentina: Quam latebram quæret inscitiæ, & prodigiosis erroribus suis? Siquidem verum retulerunt amici mei, qui illius priorem librum legerunt. Ideone ego ero nescio quid, quia ipse id, quod est, esse non vult? Absoluant eum ignorantia & temeritate, qui eius monitores fuerunt: & viros putabo. Si quis me illo libro contumelioso moueri putat, & me illius Florentini rationem habere, qui misericordia potius mea, quam ira, dignus est: næ ille longe fallitur. Perinde est mihi ab illo vituperari, ac laudari. Laudes enim & iniurias nebulonum in promiscuo habendum. Neque ex his gaudium, neque ex illis dolor ad nos pertinet. Sed ideo illius mentionem feci, quod quidam male feriati stipem suam in illum æruscatorem contulerunt: & qui neque facto, neque dicto vllo a me antea prouocati sunt, ij ope & consilio suo eius inciuilem audaciam & conatum iuuarunt. Quamuis conuicia hominem probum & constantem non labefactant, tamen concutiunt, & somnos rumpunt vt culex stridens, aut mus Leonem expergefaciens. Excuso iniurias nō accuratas, quas subitus iræ calor exprimit, & quæ mentiendi non habent tempus. Sed qui meditatum furorem adferunt, vt fecerunt isti scalarij fabri, ij quamuis non mouent nos latratibus suis, tamen aliquando solicitudinem obiiciunt.

H Inultos

Inultos enim pati inertia censetur: respondere, insolentia. Et præterea nescio quomodo magis descendit in animos hominum, & magis circunfertur maledicæ vernilitatis, quam bonæ frugis liber. vituperatio bonorum ægrotantis sæculi argumenta sunt. Hoc nos in Gallia superioribus annis experti sumus nimis. Hæc licentia ab insectatione virtutis primum, & literarum & doctorum hominum incipiens, ad regum vsque iniurias & cædem denique peruagata est. Ego vero omnibus casibus expositus sum. Iam maleuolis par componor, & contra ipsos ab ipsis quotidie induror. Imperata est nobis a sapientia moderatio. Hoc tributum nobis impigris & alacribus pendendum est. Malo modestiam meam omnes, quam iustam iram pauci sentiant. Ecquis leget illa, nisi qui auctoris moribus sit? Quis delectabitur, nisi is ipse, qui Venetiis ad eum scribens, fabulam de scalario fabro illi dictauit? qui, cum esurire incipiet, locabit operam Inquisitioni, vt bonis periculum creet, & delaturis victum quærat. quod quidem multos iis moribus, eoque ingenio præditós facere vidi: quemadmodum solent scorta exoleta, quæ anus factæ lenocinium facere instituunt. Mouerer vero, si viri moribus, & doctrina excellentes hoc facerent. Nunc vero a talibus vituperari, hoc vero laudari est. Euitari non potest, quin virtutem, tanquam vmbra, non solum, quod inquit ille, gloria, sed etiam inuidia sequatur. Ecce, quocunque me confero, inuenio rupices, & Marrucinos,

quibus virtus mea ſtatim obolet, vt ſuibus Amaracinum. Quocunque eo, mitto mei ſigna. Quiſquis perditus eſt, inſanus, virtutis & bonarum literarum hoſtis, veſtigiis me meis colligit, & capitali odio perſequitur. Et profecto Deo opt. Max. gratias ago, quod virtus quidem mea inimicos mihi peperit, ſed eadem longe plures amicos quæſiuit. Tot enim egregij genere, moribus, literis omnium ordinum viri nos amant, vt horum generis humani retrimentorum ratio nobis habenda non ſit. Conueniant omnes furioſi, ſophiſtæ, aretalogi, & operas mutuas ſibi tradant, Ne minimam quidem partem eorum præſtiterint, quæ præſtitimus ipſi: & ſudabunt pluſſatis. Quid mihi obiicere poſſunt præter virtutem, quam non habent? Nobilibus natales ſuos iactantibus habemus quam obiiciamus vetuſtatem generis mille & ducentorum annorum, eamque nullis fabulis affectatam, ſed auctoritatibus antiquorum monumentorum aſſertam. Literatis ſi in aliquibus probaui me aliquid ſcire, culpa vaco, ſi in aliis idem non præſtiti. Et quis hoc ſibi promittere poteſt? De moribus etiam inimicos meos iudices fero. Nullius mihi conſcius ſum, cuius me apud homines pudere debeat, neque quod aut exiſtimationem ſiniſtram poſteritati, aut corpus effœtum tradat ſenectuti: cum continentia anteactæ vitæ ad hanc vſque ætatem eam artuum & mẽbrorum firmitudinem mihi aſſeruerit, qua nec meliorem iuniores optare poſſunt. Regibus, Principibus & proceribus noti ſumus.

mus. Clarissimi & illustrissimi sumus. Literarum amantissimi sumus. Ab omni ambitione, & inuidia remoti sumus. Mendacium tam a natura, quam à patris instituto capitaliter odimus. Rumpatur inuidia. Non possumus esse dissimiles nostri. Omnes inimici nostri virtutem non vitium in nobis hactenus insectati sunt. Ecquænam felicitas huic par esse potest? Sed vt scias me non vniusmodi hostes habere: quem tot nationes norunt, is ego solis Aginnatibus popularibus meis ignotus sum. & quidem commendatitiis mihi opus esset, si ad illos cogitarem. Iam trigintaquinque annos fortunis meis me euertunt. Nuper etiam vicino meo acceptum refero, quod maternum prædium meum, qui erat vnicus patri meo ad philosophandum secessus, misere vastatum & diuexatum est. In ipsas quoque arbores sæuitum: ne prouerbij fidem eleuarem: Aliquid mali semper esse propter vicinum. De cuius barbarie & inciuilitate alias fortasse erit expostulandi locus. Hoc precium innocentiæ meæ tuli, dirutos penates, bona direpta, & quicquid victoria in hostes patriæ permittit. Ac ne priuatim de vllo queri possim, hostes publice inueni, qui nihil non fecerunt, vt docerent me ad sese non pertinere. Fateor sane: atque adeo ad Batauos, in quos translatus sum, gentem iustissimam, & humanissimam, me potius, quam ad Nitiobriges pertinere dico. Septimus enim sum ab illustrissima Batauorum comite Margareta, cum ne auus quidem maternus Nitiobrix fuerit. Ita antiquus

IVLIVS CAESAR SCALIGER ARNOLDO FERRONO ATTICO, Patritio Burdegalensi.

S. D.

MATVRANTI *mihi consilia studiorum meorum, propterea, quod & sero inita & multa opera ad perficiendum egere videbantur, obiectum est, Attice, eiusmodi impedimentum, cuius impetu non illa modo, verum spes omnes nostræ quoque concidere. Cum enim eo properarem, vt filiolis meis lectissimis adolescentulis quam plurimum facerem in re literaria: eorum alter bimulus, cuius ætas quanto erat innocentiæ propior, tanto aptior fuit ad iniuriam accipiendam, acerbissimæ mortis tela, quæ ipse in corpus suum excepisset, ex mœrore infixit mihi. Atque illius quidem indoles,* Ferrone, *quæ tum ætatem, tum expectationem omnium nostrum præuenisset, & tunc pietatem meam, qui pater essem, & nunc luctum nostrum, qui mortales sumus, & deinceps posteritatis gratiam, cuius commoda diuini ingenij sui monumentis aucturus ille fuerat, merita esse credebatur.*

At quo mortis genere abusa est securitate nostra inuidentissima bonis omnibus fortuna? O dij immortales! me ne aurei illius infantis vitam ei commisisse? me ne ei victum vitamque suppeditasse, quæ illi mortem esset allatura? me iis opibus, quas meo

sanguine peperissem, alere monstra ista, quæ sese nutrices appellari volunt: quarum impietate futurum esset, vt charissimorum viscerum meorum perpetuo torquerer desiderio? non vigiliæ meæ, non sedulitas familiarium, non miserrimæ parentis custodia sæuissimi fati inuidiam placare potuerunt. Quare, mi Attice, quoniam prior vita, quæ fortunæ obnoxia esset, eius feritate intercepta est: quod reliquum fuerat mæstissimo patri, hoc genus alterum viuendi saltem, quod ad immortalitatem quam proxime accedere videtur, nolui deesse ei, cuius in successionem mortalitatem meam prorogari posse speraram frustra. Ac officij quidem genus hoc quanquam erga egregios beneque de republica meritos viros olim adhiberi solitum est: tantas tantæ indolis dotes tamen sua spe defraudari minime æquum putabam. Et pios studiosofque mortales exoratos velim, vt si hanc operam in infantis meritis aut otiose, aut ambitiose locatam nolint, patiantur saltem seipsum lugere sordidatum ærumnis patrem: cui dati a natura liberi sint, vt per eorum interitum ipse exitio suo fatali anteuertat. Tibi vero, Ferrone, cum propter alias virtutes tuas ciuiles, admirabilemque eruditionem, tum propter diuinam sapientiam, atque animi nobilitatem, qua verissimam colis pietatem, muneri mitto hanc oratiunculam, vt quem liberis meis patrem animo destinaram, si quid mihi humanitus accidisset, particeps sis cum veteris luctus ex recordatione illius necis propter singularem humanitatem tuam, atque nostram necessitudinem, tum consolationis ex lectione huius lucubratiunculæ, propter opinionem, quam ego non satis meritus in hoc eloquentiæ genere fui semper apud te consecutus. Vale, Agenni, postridie calend. Iunias.

SCALIGERI
ORATIO
In luctu
AVDECTI CÆSARIS
FILII.

SI pietatis meæ, CIVES, monumenta crebra clementiore fato veterum suorum meritorum cursum tenere potuissent, non huiusce nunc acerbissimæ tempestatis appulsu consilia nostra miserrime conficerentur. Quæ enim pericula aut piis votorum nuncupationibus auertere, aut præsenti corporis animique vi a meorum liberorum ceruicibus depellere consueuissem: nequaquam hoc alienissimo ætatis meæ tempore eorum periculorum non euenta solum sed memoriam quoque ipsam cogerer detestari. Heu me miserum! Eone res recidisse, viri studiosi, vt qui omnes meas spes in perpetuis literarum thesauris reposuissem, maximum à diis immortalibus beneficium putarem me consecutum, si hoc tanto in luctu liceret mihi diuinæ humanæq. sapientiæ obliuisci? quemadmodum enim charissimi capitis amissi recordatione, paulisper intermissum malum rursus integrascit: ita si qua mentis remissione atrocissimi casus vestigia obtegi contingat, tum me lenioris fortunæ fructum capere putem: quoniam communia officia humanitatis, ciui-

lia merita, memetipsum denique ex animo meo aliquando delere valuerim. Quod si hoc fatale fuit mihi: vt cum suauitate studiorum meorum iacturæ acerbitas mea in memoria tam penitus, tamque pertinaci diuturnitate debeat insidere: saltem nobis illud reliquum factum sit, Audecte filiole, vt earum literarum ornamenta non ad tuam gloriam, quæ per sese immortalis est, sed ad miserrimi patris consolationem conferantur. Atque vtinam deorum immortalium consilio hæ mearum reliquiæ miseriarum ita subleuarentur, vt iustæ doloris magnitudini elegantiore orationis apparatu respondere possem. Profecto si tuarum virtutum ingentem illam, ac plenam spem dicendo æquare non valerem, at iuuaret sane me summum esse oratorem: quoniam fuissem pater incomparabilis. verum cum neque mihi propter mœroris immanitatem, neque cuipiam mortalium, ob tuam diuinitatem, tantum vnquam copiæ datum sit: quoniam felix esse non potui te viuente, gratus sim saltem interempto tibi, qui extinctum pene gentis nostræ nomen reuocatis auitis virtutibus amplissimo certissimoque omnium ciuilium officiorum cultu cumulatissimum fueras effecturus. Quodque mihi natura ipsa negat perniciosissimi luctus oppresso mole, hoc eius iussu exequar, ingentis amoris magnitudine concitatus Qui enim vitæ nostræ spatiis certas præscribi regiones, certosque tractus ita animaduerterem, vt hoc æui, quod sibiipsi in nobis aliquando defuturum est, in succedenteis transmissum soboles continuatis interuallis

uallis componatur: omnium mearum momenta cogitationum ad liberorum meorum ſalutem, atque integritatem referenda iudicabam: & quorum commodis noſtra incommoda deberentur· & in quorum vitæ præſentis ſinu præteritæ vitæ noſtræ memoria conquieſceret. Ac quanquam in pueruli funere maior luctui modus adhibendus eſſe videbatur, propterea, quod imbecilla ætate, & nihil eorum præſtare potuerit, quibus ſublatis, non ſine maximo dolore careamus: & æquali ingreſſu lucis huius ad vitia virtuteſque propenſus eſſe queat: ego tamen contra ſentio, diuinum neſcio quid deſiderare nos: quod & noſtro flexu ad optima quæque tenerum adhuc dirigi poterat, & miſerrimum hoc ipſum eſſe oportere exiſtimari, cum amiſimus id, quod eſſet omni obtrectatione maius. Eam, dij immortales, ætatis innocentiam, quæ hoc, quod maximi beneficij nomine a vobis naturæ noſtræ exhiberi poteſt, huius florentiſſimo vitæ vix deguſtato curſu, nullo ſuo merito crudeliſſime ſpolietur. An vero & ſuæ duritatis conſcium fatum fuiſſe cenſeamus, quod ea illum ætate rapiat, quæ vix ſentire iniuriam, lamentari non admodum, exprobrare nullo modo poſſit? Quare cum neque pro re ſatis ego conqueri, neque pro pietate me quiſquam valeat conſolari, cui mœroris acerbitas, iacturæ immanitas ignota ſit: neque nota eſſe queat vlli, qui pater non fuerit: qui non hic pater fuerit: qui non huius demum fuerit pater: hoc poſtremo pietatis meæ momento quæſo mihi deprecari liceat illud a vobis, CIVES, vt neque

me hac in conquestione ambitiosum existimetis, neque pro rei magnitudine aut verba facere, aut vultu præ me ferre aut intellectione sentire satis potuisse. Atque vt inde tandem doloris immensa vis orationem meam sinat proficisci: rerum natura parens, cum mortalis huius vitæ nostræ fomenta multa ac magna instituisset, cælos ipsos præesse voluit auctores, atque moderatores vniuerso terrarum orbi cæterisque elementis: in quibus tanquam mens aliqua ingens atque immensa, omnia capiens, ab alio nullo capta ipsa insinuaret atq. immisceret sese ad ea constituenda, quibus omnium vices atque nexus inter se continuarentur. Ad quæ conficienda cum motus rationem quasi suarum functionum socium quendam ascripsisset: apposuit & locum, tamquam matricem quandam corporum, cuius ope ad ipsa munera obeunda fouerentur, atque adiuuarentur. Cui loco tantum attribuit facultatis, quantum par erat a cælo defluere: vnde omnia eius imperio atque præscripto agenda essent. Quare cum rite, tum sapienter fecere maiores nostri, qui cum viros fortes laudandos suscepissent, rati id maximum ad suarum virtutum incrementa adiumentum allaturum, a terræ sinu illo, in quo orti, in quem excepti essent, vbi primum hausissent cælum, orationes suas auspicari voluere. Cui terræ tantum esset attributum, vt & parentis sanctissimum nomen nobiscum haberet coniunctum, atque commune: quo patria diceretur: & nihil esset, quod a fortissimo viro vel dici sapienter, vel prudenter agi, vel etiam fortiter geri possit,

quin

quin illi gloriæ laudiſque participatione reponeretur. Quo me igitur vertam, CIVES? vbi natus fuit AVDECTVS CAESAR, eum locum laudem? in quo particeps factus eſt diuinitatis exortu ſuo? an vnde oriundus erat (hoc enim ſolum verbum, me miſetum, patriæ ſupereſt calamitati) generis ſemina commemorem: quæ occultis tractibus a priſcis proauis rêpetita, ſeros etiam in nepotes radices agunt? Galliæ ne igitur dicam laudes, an Italiæ? At enimvero deterritus magnitudine iuſtæ laudationis, quæ argumenti noſtri ſplendori apparabatur, quibus animi viribus, quibus temporis fretus ſpatiis, cogam in anguſtum duarum excellentiſſimarum gloriam prouinciarum? Quarum vtraque cum fortiſſimos extulerit viros, vix ſatis tamen fortiter feciſſe videntur illi, vt ſecundum patriæ dignitatẽ dimicarent. Cum multos & olim procrearint, & in præſentia non paucos alant eloquentiſſimos: nullius vnquam oratio earum gloriæ par eſſe potuit. Dicam ne illas igitur eo fato ab vltimis elementis ipſis exorientis orbis comparatas atque conſtitutas, vt altera omnium nationum domitrix, altera dominatrix exſtiterit: altera alterius victrix, altera alteri obtemperatrix: neque enim hæc ab alia vinci potuit, neque niſi ab hac illa ſuperari. Cogitate, CIVES, atque reſpicite pulcherrimam, opulentiſſimamque Italiæ partem a maioribus veſtris conditam, maximas, fortiſſimaſque Galliarum nationes a noſtratibus colonis inſtauratas: communicatum robur: temperatam animorum vim; diſpertitos mores, humanitatem, manſue-

mansuetudinem. Repetatur a vobis cum veteri, tum recenti memoria virtus vtriusque gentis par: constantia, fortuna, redditæ clades, recepti triumphi, vindicata libertas vltro citroque, pacatus ardor adeo, vt satis sibi accessionis putaret factum, si æmulatoris iugum depulisset: abundeque alteri censeret imperare sese, si ei non seruiret. Quod si non solis virtutibus, quemadmodum plerique sapientum, vitæ nostræ rationes putemus: vultis fortunæ, quæ appellant, bona deinceps cõmemorentur: vultis vtriusque opulentiam, siue metalla intelligatis, siue aliarum rerum copiam, quibus vsui ac decori, quantum natura exigit, indulgemus? Equorum armenta bellatorum, vrbes ingentes, bene munitas, frequentes, bonarum artium plenissimas, amplissimos senatus, tutissimos portus? Iam ipsum vber agri lætissimum, feracissimumque, ac prope aureum, in vtraque simile atque æquale. Quid enim beatius campis istis prouinciæ Narbonensis? quid toto Belgio opulentius? Quid fertilius Liguribus Taurinis? quid pinguius tractu illo toto, qui inter Apenninum, atque Alpeis Rheticas innumeris fluminum flexibus atque anfractibus irrigatus, Eridani regis imperio paret? Quid vtraque in terra, & Gallia & Italia Venetorum angulis vberius? vt profecto cum nominum coniunctione, quæ nomina mortalium casibus, locis illis contigerunt, natura ipsa pari conatu studiose certasse videatur. Priuatim vero quæ ciuitas olim debebatur, huic nunc nouo cœlitum ciui, ea ciuitate quid amœnius, quid pulchrius, quid magnificentius?

cius? Quæ enim omnium, quæ vſquam extant, vrbium cum VERONA, ſiue ſitum contempleris, ſiue cælũ admireris, ſiue natalia putes, animorum robore, corporum dexteritate, fortitudine, ſplendore, ſimplicitate contendere auſit? atque eius quidem excellentiam cum contemplor, CIVES, video BRENNVM illum fortiſſimum gentis veſtræ ducem, generis noſtri auſpicatiſſimum conditorem, non temere tantis exercitibus & victoribus, & inuictis, præfectũ fuiſſe. Etenim memoria repeto, mirificis illum cõſiliis poſt tot, tantaſq. extructas vrbes, Comum, Bergomum, Cremonam, Brixiam ipſam, illas aliam alia de cauſa variis vocabulis nominaſſe. Tandem vero poſita VERONA, eam vnam omnium dignam iudicaſſe, quæ de ſuo nomine BRENNONA dici mereretur. Nulla extat vrbium Italicarum, quæ ſalubriore cælo ambiatur, quæ clementiores deſpectet colles, effuſiores ſubiectas planities, patentiores campos, vallium excurſus viridiores. Nulla, quam æque nobilis amnis interluat: neque enim vlla eſt in re cum amœniſſimo Atheſi Tiberis conferendus: non vſus, non celeritas, non tractus huius ad illius commoditates, impetum, magnitudinem accedere poteſt. Ipſa vero ædificia quibus cedunt? omittamus theatrum, cuius ruinis paucorum, quæ toto orbe terræ viſuntur, miraculorum non numerus modo, ſed maieſtas quoque merito augeatur. Spectemus tot illuſtriſſimis pontibus domitam fluminis impotentiam, iunctamque cum Gallia Venetiam. Ibi ſuum in ſinum ipſa vrbs media ſedet, horum bellicam

gloriam, horum diuinam ſapientiam, quaſi iuſtiſſima quædam mater recipiens, referenſque in ciuibus ſuis, omnium gentium tum humaniſſimis tum fortiſſimis, tum etiam ſapientiſſimis. Quod ſi, vt plerique putant, nobilitatis vis in bellicis exercitiis, in venationibus, in vacationibus ab rebus vilioribus ſita eſt: nulla, hac in parte, neque indigenarum, neque exterarum vrbium cum ea comparari poſſit. Eſt ne vero quicquam, quod anteponas BENACO lacui, toto hoc ambitu terrarum, qui frequentioribus commerciis notus eſt nobis? Ad animi laxamenta ver perpetuum, hyems pro frugibus, æſtas ad meſſes, autumni intemperies nulla: piſcium generoſiſsimorum elegantia quædam propria, atque natiua, nobiliſsima olitueta, Heſperidum horti incomparabiles, vt neque ex veteris Græciæ inſulis, neque ex ea, quæ poſtea Magna cognominata eſt, ſpecioſiora poma ſubuehantur. Nam vini quidem excellentiam illam admirabilem, hoc tanto in mœrore meo, nequaquam auſim commemorare. Age vero gentis noſtræ magnitudinem poſt Romani imperij inclinationem, nulli ſecundam diu, ſæpe etiam multarum principem nationum, qua oratione, quibus eloquentiæ numeris proſequi poſsim? quæ vetuſtatis ſuæ illuſtrem gloriam, incertum eſt, obſcuraritne an auxerit virtute. Nondum hæc nomina, quæ Comitum atque Marchionum circunferuntur, exorta erant: & Scaligerorum florebat imperium. Vultis annales noſtros afferamus: quos rudes, atque barbaros (vt tunc ea ferebat ætas) vir bonus atque eloquens

quens Paulus Æmilius pulcherrimis Latinitatis donauit monumentis? Hic nunc iam millesimus annus agitur, cum THEODORICVS Scaliger Alani filius in Feltriorum Montium faucibus obiecit sese Attilæ Hunnorum regi, eamque tempestatem in Altinum, cæterasque oras inferiores depulit. cuius Theodorici opera, postquam Attila in Noricum reuersus seditione militari ob agrariam diuisionem cæsus fuisset, Veronam ab illo incensam e Tridentinis accolis, nobilissimisque Euganeorum reliquiis instaurauit. Concurrebant ad auctorem libertatis, salutis præsidem, pudicitiæ conseruatorem suum vicinæ nationes: quibus præsentium euasio periculorum futuræ securitatis opinionem faciebat. Neque enim sine aliquo numine potuisse id a mortali præstari manu, quod vniuerso pene orbi illi communem calamitatem vnus omnium sedare valuisset. Igitur neque veteres simultates, neque diuersa studia plus poterant, vt disiungerentur, quam illius viri fortuna atque sapientia, vt vnum in corpus coalescerent. tantaque eius auctoritas, tanta virtus exstitit, vt qui paulo antea cæteris imperare consueuissent, illi vni cederent fortunis, corporibus, animis ipsis: quos ad illud vsque tempus gessissent inuictos. Frequentiore ciuium robore constituto, atque aucto imperio, promotum pomœrium est, adiecta ea tum vrbis portione, cuius regiones trans flumen ad orientem pertinent, atque ipsi subiacent colli. Itaque imperij nostri vetustatem si memória complectare, præclarissimarum vrbium natalibus prior est, pene

omnium regnorum, quibus Europæ nationes in præſentia multæ parent, principiis longe antiquior, ſi merita agnoſcamus: cum deorum immortalium conſiliis coniunctam fuiſſe intelligetis. Qui, cum pulcherrima Italiæ parte deuaſtata, illi regioni vellent parcere, eam pietatem cum fortiſſimi viri gloria communicatum voluere. Quod enim Leonis Pontificis Maximi diuina maieſtate impetratum fuit a barbaro, ab Italica deinceps vaſtitate vt temperaret, hoc ille armorum, animique vi vicit, atque obtinuit. Mitto TREBELLII Scaligeri virtutem ne an fortunam inſigniorem? Is ducenteſimo circiter anno poſt, Vngarorum ſecutus arma, qui ſibi illi illum belli artibus atque opinione florentem inter duces elegerant, atque euocarant, contra Lituanos, ac Pruſios, primus omnium Italorum effecit, vt Sarmatarum, Scytharumq. fuga pugnax, veriſſima fuga eſſet. dicam BENEDICTI ſuperioris auſpiciis non procul Adria Deſiderij regis exercitum, qui Adriani Pontificis res oppugnaret, victum: eius coniuge, liberiſque Carolo Magno redditis, auctorem fuiſſe tum cõtinuandæ victoriæ, tum augendi triumphi, ac tandem vero funeſtiſſimo bello finem imponendi. Dicam ab eodem Magno eum ſocium, atque amicum appellatum. Dicam huius nepotem ALBERTVM Taxilli regis Noricorum, qui ſoceri ſui Deſiderij res vellet reſtituere, impetum tandiu retardaſſe, quoad Carolus ſaluberrimo aduentu ſuo magna manu ingruentium Hunnorum reprimeret excurſiones. Dicam in tanta illius ſeculi feritate ab

ea gente

ea gente ciuilem tum prudentiam, tum comitatem, quæ perraro militarem impetum comitantur, non penitus abfuisse. Etenim NICOLAVS Scaliger, cui virtus cognomen FORTIS fecisset, inter primos apud FRIDERICHVM Barbarussam summa cum polleret & gratia & auctoritate: inuitusque eius iussu multa oppida pontificij iuris expugnasset: victoriarum frequentiam exercitui gratulanti, memorabilem vocem illam ac vere diuinam emisit: Profecto, inquit, commilitones, vincendo perimus. Reddita postea Friderichо pace, transportatoque in Syriam exercitu, Nicolai filius ALBERICVS non solum patris felicissimam, clarissimamque memoriam obscurauit, sed etiam apud exercitum pene imperatoris auctoritatem. huic omnia consilia credi, ipse mature imperiа capere, fortissime gerere, belli molem vniuersam sustinere. multa ille ac præclara sine magna manu sæpe, sine imperatore pleraque conficere: sine illo neque Imperator comminisci, neque vniuersus exercitus moliri prorsus quicquam. Hic ille est Albericus, qui plus tricies extra ordinem pugnauit, semper victor. Huius vnius virtutes satis habebamus commemorare, nisi vtriusque CANIS diuina prudentia, magnanimitas, iustitia, sanctitas ad sese meam vocaret orationem. Te vero, MASTINE Princeps, quo consilio, ac piaculo potius tacitum relinquam? cuius animi ne an fortunæ magnitudo fuerit illustrior, atque constantior, nemo facile iudicare possit. potentia certe tanta exstitit, vt etiam Ludouico Bauaro Imperatori fuerit formidabilis,

qui cum reiectis priscis Regulis ab Italicis ciuitatibus, alios imponeret nouos, Mastini vnius vim neque experiri voluit, & vltro obtulit, quod alij neque precibus, neque armis valuerant impetrare. Te dicam NICOLAE pie, qui auus fuisti mihi. Te pater BENEDICTE, fulgur, fulmenque belli formidabile, qui iustis præliis duodequadraginta interfuisti: plus centum excursionibus pro Fridericho Austriano Imperatore, aut pro Vngarorum rege optimo, atque fortissimo Matthia, aduersus Illyrios, aut Turcas præfectus fuisti. Certamine singulari ter ex ferocissima Othomanorum gente cum opimis spoliis florenti ætate victor rediisti. Proh Dei atque hominum fidem, vbi ea omnia sunt nunc, AVDECTE fili? vbinam sunt semina ista ipsa, quæ in te quasi diuinitus subacto solo ad clarissimas illas fruges mandabantur? Ea vero cum interitu intercepta sint nobis tuo, quid aliud dicam miser, nisi nos hæc desiderare nunc, quæ olim fueramus admiraturi illorum morte, siue ea naturæ imperio affecti fuissent, siue quam pro reipub. salute cepissent. Carebamus fructu tantarum virtutum, nisi quem eorum exemplo nobis multa cura atque perspectione parabamus. Memoria enim illa tanto erat iucundior, cuius lux etiam post extincti corporis cineres fulgeret. At in te, filiole mi, cum ille splendor sero reluxisset, celerrime extinctus esset, & illorum memoriam ingratam & tui miserabilem fecisti mihi. Quanquam non ego te potius in tuorum maiorum recordatione censeo laudandum, quam eorum fatum in tui spe

fuisse instaurandum: cuius olim opera, quorum corpora essent deleta morte, eorum nomen in deorum immortalium sempiterna consilia reponēdum fuit. Mirabatur natura stupida vires suas: suæque potentiæ magnitudinem pleno quasi in speculo contemplabatur. Abstinebat illa, siue oblectatione tam perfecti operis, siue metu: quippe quæ tantam ad molem si semel corruisset, restituendam sese imparem vereretur. Cum ecce de improuiso is luctus non tam præsentibus rebus meis, quam vniuersi orbis expectationi oblatus est: pro qua spe, nihil præter infelicissimam memoriam illius diuinitatis, nihil nisi mœror orbitatis, futuræ solitudinis miserrima cogitatio relicta est mihi. Ergo quid agam primum? aut quid non agam potius? lugeam ne orbos penates meos, accisas spes posteritatis, intercepta cōmoda senectutis? an diuini pueri obitum, absentiamque perpetuo aliquo consacrem colamque monumento? vt quoniam quod ei maximum dari poterat a patre, a me accepisset, vt viueret: hoc cum ab eo sublatum est, quoquo sane possim officio, ac potius pietate resarciam. Fuit hoc in more positum, CIVES, vt in funeribus viri fortes laudarentur: quo eorum iustitiam, temperantiam, fortitudinem, pro exemplo imitandam aliis proponeremus, verum nulla pene vnquam tam solida in quopiam virtus fuit, quin aliqua vitiorum affinitate fuerit adumbrata. Neque enim fuit hoc vllo, quod equidem sciam, tempore comparatum, vt vni cuipiam vniuersa sint attributa, quæ sua cuique fatorum certa lege, certisque portionibus

tionibus aſcribenda eſſent. Diſpertitæ virtutes aliæ alij occultis vitiis nonnihil vacui ſæpenumero reliquere. Quanto magis ætas iſta aurea laudanda eſt, in qua puritatis, atque ſimplicitatis modus, ſpecies, flos ipſe eniteſcit? Nonne iuſtitiæ pars eſt, nulli facere iniuriam? At ea iniuriæ obnoxia, nulli rei formidini eſt. Quid temperantius, quam ab alienis manus abſtinere? Hæc nihil tollit. Quid frugalius, quam victus ſimplicitate contineri? Hæc præter lac, quid petit? Quid ſapientius, quam bene monenti parere? Hac facilius, lenius, flexibilius nihil. Quid Deo ſimilius, quam innocentia? Hæc hoc cognomen vel ſola vindicat. Erat ille in hac ætate omnibus mortalibus communi, quæ aditus vtriuſque fortunæ quidam eſt. At ea in ætate ita agebat, illi vt imperare poſſe videretur. Riſus iucundus, ſed non effuſus, prudentiam lenitate conditam pollicebatur: obtutus grauis, ac virilis, frons regia. Iam oſculum illud diuinum, modicum, puſillum, veriſſimum, præſentiſſimumque ſignum temperatæ atque prudentis orationis: iam tempora caua auitam ſapientiam promittebant: modicellæ aures, humanitatem. iam tota facies caſtra meditabatur: ſed illa priſca, frugi, compoſita diſciplina militari. Iam ad armorum fulgorem quæ exhilaratio? quæ lætitiæ? quæ exultatio? Iuro vobis, CIVES, per miſerias meas: cum clangenteis tubas ad explorandam animi firmitatem ſemel atque iterum admoueri iuſſiſſem, vltro in earum ſinum ac fauces manuſculas inſeruiſſe. Tantum abfuit, vt deterreretur. Si quis eſſet (vti fit)

obortus

obortus fletus, non cibo, non crepundiis, non munusculis aliis potius, quam venaticorum canum interuentu sedabatur. Munditiarum vero aut præses, aut certe comes futurus fuit. Est in ea ætate, quod a fœtus primordiis excrementa concepta perpellat ad cutem. Ergo neque nutricis operam, neque medicorum manus quicquam moratus, vltro ipse quoquo posset aggressus modo exscindebat, neque futurum dolorem veritus, neque vrgentem curans; sanguine suo fluente nihilo factus commotior. Sunt hæc parua: sunt, fateor, tanto quæ in cœtu hominum commemorentur. Cæterum, ô CIVES, omnium virtutum modica initio species, perpusilla semina omnia sunt: quæ vel in vobis ipsis dedere specimen tanti decoris, quantum in fortissimis ciuibus dij immortales esse voluere. Sed milites viros etiam fortes atque audaces refugere dolorem ipsemet hisce oculis vidi. Ille contemnebat. Sed audio etiam philosophorum nomine dignatos, qui summum malum ponerent in dolore. Ille irridebat. Denique natura plene præstare non poterat, quod in eo pollicebatur. Sed enim aut mentiendum erat ei: aut nos promisso viro defraudandi. Quæ si a mœroris mei impotentia redarguatur, respondeat, opinor, satis fecisse sese: si, quantum potuit, effecerat. Quid enim, inquiet, amplius dedissem? putasne veram ad frugem tanta semina peruenire potuisse? Infantem luges: at vir mortuus est. Fatum in eum grassatum est, cui prouidendum mature fuit, ne ab illo diuini animi libertate superaretur. O peruersum fatum, atque inui-

dum, atque inhumanum. Aut moderatius cœpisses, aut fidelius perfecisses. Nunc vti demolirere, pulcherrimum ædificium extruxisti? Quod si de rebus humanis sublatus, nullius præterea mortalis indiget testimonij; quid mihi misero restat aliud, quam illius memoria: sed & sola & soli? Qui siue improbus futurus fuerat: hoc ipsum doleam necesse est, exprobrari ab illo posse fatis ipsis, ab iis sese eum factum, qui emendationis indigeret: sin bonus, quis me, amisso tanto naturæ pignore, tanto in desiderio consolabitur? Dicent finiri labores morte: tum carcerem, exilium, infamiam, ignominiam, ægritudinem, egestatem. Præclarum vero mortis opus, si exitio ipso demum incommoda sunt leuanda, maioreque miseria desinas miser esse. Animæ carcerem appellant corpus hoc: cuius angustiis atque vinculis exoluti animi, expetitam in libertatem vindicentur. Verum istorum hominum laudanda sapientia est: qui euentus nostrarum miseriarum solent vocabulorum lenitate mitigare. At mihi opificis æterni consilium nimis stulte damnare videntur, qui primis incunabulis mortem felicem arbitrantur. Qui igitur constabit orbis? etiam ne hæc vitæ alia super alia addita spatia pro damno habeantur? Quid? ne nascamur quidem: ipsæ animæ formatæ statim, ne corpus, vnde aliquando eximendæ sunt, subeant, in patriam illam illico subuolent sempiternam. An & corpus nostrum hoc, diuina structura concretum, atque temperatione modulatum, supplicij loco datum nobis dicent? etiamne merendum nobis est hoc

ære

æte felicitatis, quam vos maturam mortem appellatis? Ac quanquam omnis vita nostra labor esse quidem atque adeo incerto beneficio possideri precario videatur: est tamen dei ius quoddam, quo qui nondum potitus est, miserorũ loco habeatur. Nihil enim dissimilius Deo intelligitur, quam id, quod nunquam fuit. Qui Deus si incorruptum atque perpetuum æuum agitare creditur: iactura est profecto illius diuinitatis, non diu exstitisse. Scio illum ego humanis exemptum calamitatibus, id iter institisse raptum: quod iter, si optio data esset, vltro fuerat suscepturus. Illius florentissimi animi vim atque virtutem eo reuertisse, vndę Dei Opt. Max. manu emissa esset: ab immortalitate exceptam de illa præclara, atque ineffabili specula nostratia hæc omnia pusilla atque imbecilla despectare. Non igitur eum in me fleo, sed me in illo: cuius equidem casu concidi. Me, me, inquam, fleo, CIVES, noua mortis confectum legę, alieno interitu interemptum. Ego in illo viuebam: in illo interij: in cuius vitæ spatio meipsum humanis legibus interceptum futurum speraram, porro vt viuere contenderem. Heu frustra. Ipsa nanque fata, quo vtrunque prosternerent, alterum deiicere satiş habuęre. At quo modo? quæ præcesserat denuntiatio a diis immortalibus, quod humana conditione cõtingere solet, vti imminentia pericula caueamus? præuenit calamitas nuntium, præuertit metum, occupauit prudentiam, extinxit cõsilia: quibus casus isti euitari cõsueuere, vt non exspectatum dolorem amentissimus æquaret stupor. Quemnam

igitur æquanimitatis portum pararim mihi? Quod finxerim profugium? cui tam vasta tempestas, tam repente exstitit, vt per sese miserum naufragium omnium miserrimum fecerit. O dij immortales! Vbi ego tantum suscepi flagitij? quam in me admisi culpam? quid tantum illo deliqui die, quo me alienum scelus atq. væcordia sæuissimo nuntio exanimauit? Ac nihil ille, fateor, amisit: qui nunc nihil potest amittere. Magnum enim ius adeptus est firmissimæ libertatis: qui omnia nunc infra sese despectat, aut possidet, aut contemnit, aut miseratur. Ego alia ratione, illum cum amisi, nihil præterea possum amittere: cui nihil, ac ne meijpsius quidem quicquam reliqui factum sit. O me infelicem! quippe neque aliena, neque meà iam mihi vita vlli vsui futura est. An vero ius suum mors ita voluit non persequi, sed prorogare, vt bis me alieno scilicet semel nunc, atque meo iterum olim fàto posset interficere? Atque equidem quanquam meipsum ita censeo cõstituendum, atque confirmandum, vt nequaquam sordidiorum more dolori mollius cedam: nolo tamen non hærere mihi memoriam amissorum viscerum meorum: siue quod illa fuerunt mea, qui est communis omnium animantiũm sensus, ac dulcissima naturæ commendatio: siue vt, quo possim modo, fatorum vlciscar crudelitatem, quæ cum eius corpus ademerunt mihi, speciem saltem relinquant, vel inuita. Et quoniam illius vitæ officia sua, nostra cum fortuna non licuit cumulare, non deseret me voluntas hæc, quæ fortunam nostram ad illius interitum adiungat. Hoc demum

mum ſolatij contra raptores habeam, quod cum neque ex natura rerum amplius poſſint tollere: & ſuas vires in illo exhauſtas mœreant: ſi de meo animo etiam hoc cum doloris maximo ſenſu nequeant abolere. Erit enim hic ipſe animus excindendus illis, vt prorſus penituſque diuinum in caput illud potuiſſe videantur. Ergo quærendæ opes fuerunt mihi, ambiendæ amicitiæ, capiendi magiſtratus, ſuſcipiendã ingrediendaque ratio tantorum ſtudiorum, quibus olim non poſſem frui, cum me mihi ipſi carendum eſſet tandem? Mene tibi ſpes meas fingere, chariſſime fili mi? Mene tibi deſtinare cogitationes? Mene parare tibi in literis locum, quo me anteuerteres? in re bellica ſtatuere ſedem, qua maiores illos tuos anteceſſes? At tu nunc contra miſer, hoc in vitæ curriculo ſecutus es illos, nos anteceſſiſti. Antecederes vtinam, non raperere. Fraudaſti infeliciſſimi patris genium, turpaſti caniciem, attriuiſti vitam, qui fortiter aliquando mori poteras, morte ipſa tibi parere immortalitatem, mortẽ immaturam paſſus es tuam ipſe, meã mihi ſeram, ſeipſam vt maturaret, effeciſti. Si te hoc manebat fatum: neque vlla aut vi aut prudentia humana vel retundi, vel corrigi poterat: tanto minus tolerabile iudicetur; quod & aſperum eſt, & fuit inexorabile. O vere crudeliſſimum fatum! quibus te armis arcere, quibus beneficiis poteram delinire? quibus nunc inſectationibus vlciſci fruſtra? Quid agam? quid comminiſcar? Quænam hactenus decurſa vitæ huius interualla reſpicere mens mea poſſit? quid in illis vſquam boni vel ab ipſo

lucis huius ingressu vltimo recordari, cuius comparatione cum hoc tanto casu ineunda sit mihi ratio consolationis? O fors fortuna! vincamne te sponte mea morte dolorem delens? atque vt ne superstis tu, ego desim potius? an exuam pietatem meam obliuione pertinaci, vt tuam quoque impotentiam euadam? Audebis ergo etiam id obiicere mihi, ingratum animum esse meum, qui id fleam, quod ademeris: quam pro eo habeam gratiam, quod dedisses? ergone, vt posses lædere, gratificasti? vosne datis beneficium, vt interficere possitis? an speciosius illud fuit tibi, cum maluisti potenter, quam misericorditer agere. At enimuero in nulla potentia quicquam turpius existimandum est, quam metui velle, etiam ab innocentibus. Hoc fortasse excusemus te, non abstulisse quem nondum dederas. etenim, crudelis, neque dederas, neque non dederas, quem ostendis tantum, non dedisti. Iam ego abs te non repeto filium pater: naturæ leges de te repeto. Da illi vitæ spatia, cui vitam dedisset illa: da pignoris vsum patri, cui illa pignus obtulisset. Quare protulisti, nisi vt illuderes? quid mihi poteras mali dare, si bonum illud non dedisses? Ego te, crudelis Fors, sic appello liber. Ille abs te per vim raptus, sine te sic alloquatur: Quid me reuocas improba, quem nondum emisisti? Num si mortalem me feceras, etiam qui nondum exstitissem, extingueres? Nam te quæ repulit pœnitentia? Quid egi, cum hoc supplicio tibi videor dignus, quod carere vita nuncupant? Audio enim vitam esse nescio quam: eam tu tribuendo, si benefi-

ficij

ficij in loco ponis: auferendo, quid tibi nominis impones? Anne & hocce legibus vestris sancitum est, vt qui innocentem interficit, non sit nocens ipse? Erit ne tandem apud te, quo cadam, cui non fuit, vbi consisterem? non hanc petebam vacationem, non hanc immortalitatem: vsuram temporis cedo mihi, quam etiam scelestissimis concedebas vltro, vti fierent deteriores. Etiam ne nascenti mihi vitæ auspicia fletum esse voluisti, vt eius esset futurus hæres pater? His te appellat aureus puellus ille. Responde illi fera, quæ amentia mea non potes ex saturari. A me crebris diuturnisque appetito calamitatibus, iactato tempestatibus, oppresso ruinis, teipsam irrisam, spretam, contemptam, victam, conculcatam sæpenumero vidisti, despectam semper doluisti. Credo, te magno animo, sed maiore infamia vlta es. Ecce, si pro supplicio, superstiti relictum est hoc minus dimidio vitæ mihi: quare multi boni viri, bene de hominum vita meriti, consimiles atque pares pœnas luunt? Proh Dei atque hominum fidem, qua portione mecum decidisti? Ego cum tota spes mea, mei maxima perierit pars, non putem faciundum, vti totum tempus hoc, quod illius vitæ iure ac merito attributum decuit, diuinæ eius memoriæ saltem transmittamus? Equidem aliquando meminisse videor sapientum sententiam fuisse publicis mortalium receptam iudiciis, atque consensionibus approbatam, sociale animal esse hominem. Cœtuum, consiliorumque ciuilium certa profecto pars est. Quanto igitur magis homo idem familiæ suæ caput

censeatur

censeatur: cuius corporis membrum si amittat, non iam ciuilis societatis solum, sed hominis etiam partem perdere videatur? iam miser sentio maximarum fortunarum esse non posse iacturam paruam: neque iudicari felicem decere quemquam, qui non idem beatissima quæque valeat amittere. Audio Catonem virum fortem, audio Anaxagoram acceptis nuntiis de morte liberorum, illum publici muneris, hunc pristini vultus nihil immutasse. Diuinos profecto viros. Sed quis nostrum inexplorato insciens affirmare ausit, tantum eos cepisse detrimenti, atque nos? Ac tametsi sua cuique damna pro opinione maxima sunt, atque grauissima: erant illi tamen tales tantique, vt cum magnitudinem suam contemplarentur, aliorum despicere paruitatem possent. Ego contra, certo scio, naturæ factam iniuriam: quæ si nostrum altero carere debuit, illum amiserit potius, me ei impare atque inutili retento. Quanquam non video, viri isti, qui pro Repub. nihil non auderent, facerent, molirentur, quo animo Reipub. ipsius saltem non dolerent vicem. Sciebas, inquis, te mortalem genuisse: at speraras eam mortem suum Reipub. debitum persoluturam. Audiant Lacænam illam viraginem: cuius vox illa immortalis facta est: iccirco, quia filij vitam patriæ suæ firmitati consecrasset. At o philosophorum istorum inania nomina: durissimorum hominum rusticam asperitatem! Satis sit vobis hominem exuisse: satis sit naturæ vim attulisse: eius leges perrupisse, refixisse: eã ipsam interfecisse: etiamne eius spolia in aliis detrahere,
etiamne

etiamne in animo meo lenissimo atque humanissimo eius naturæ spolia legere patatis? At quanti tandem putatis esse vestros, vos? esse vero totos vestros? nihil ne humanitatis neque aliis impertiri, neque retinere vobis? Illud igitur liceat ad hunc modum iactitare. Liberorum meorum, quorum vitam mortalitati meæ substituissem, mors mihi nõ fuit grauis. Eam ego animo tuli forti. O hominem ferreum potius, quam fortem! Quid sibi volunt aliud lachrimæ nostræ, hoc est, humanæ, quam testimonij locum? Mollis esse animi dices. nos tuum ferum. Fractum obiicies: agnoscimus ciuilem. Non est imbecilli, sed lenis: non abiecti a fortuna, sed in fortunam erecti. Quæ hoc sane modo sentiat, cui fecerit iniuriam. Etenim istæ grauitatis partes, quarum artibus ab ipsa natura sum imbutus, non committam, vt ab alio magis, quam a me agantur liberaliter. Hanc vero lenitatis personam, quam mihi imposuit necessitas, etsi inter mortales casus sæpenumero quasi spectator in aliis pie admodum contemplatus sum, in me tamen expertus sensi, quam recte me in officio pietatis debuit continere. At enimvero hoc sic aiunt. quod mutari nequeat, æquiore animo sustinendum. Quid ni? Hoc equidem ago. Nam quid inique a me perpetrari visum est vobis, CIVES? Profecto neque mortem consciui mihi, & tamen non defuit impetus: neque amicorum officiis, quoad licuit, defui. Et alienato animo consternatum me mihi suffuratus fuerat dolor: neque destiti miserrimam parentem composito vultu consolari. Et

erat illud quoque quod dolerem magis: cum ego illius mœrorem quoque flerem ſiccis quidem oculis, ſed inuitis, intima animi vulnera illa diſſimulantibus, tanto acriore acerbitate, quod ſuppudebat me ab illa patrij animi propenſione ſuperari. Age vero quid, quantumque tandem iſtis in cordibus hominum, qui ſeipſos fortes vocant, æquitatis eſt? Abiiciam ſcilicet intellectionis ſenſum: vt eodem loco penes me ſint, & liberi, & ignoti? O CIVES, CIVES, nemo iſtorum amentium, qui hanc ſiliceam ſapientiam nobis venditant, nemo adducet, vt credamus, cuius mortem non doluerint, eius vitam adamaſſe. Quid enim potuerit tantorum bonorum cumulus eſſe iucundus, cui nō fuerit moleſta deceſſio? Eorum pietas, ſi inter viuentes nunquam vixit, inter vita functos quibus artibus reuiuiſcet? Et repeto ſæpenumero, CIVES, naturæ noſtræ ſemina atque radices: quarum ſatu cum liberorum noſtrorum genio animus noſter commiſcetur ita, vt pene vnus fiat: atque illo diſturbato, nos non concutiamur? Tum autem ſiue mihi, quod periit, genuerim doleam: ſiue Reipublicæ, eiuſdem cauſſa non doleam? Alit nimirum dolorem hunc miſera ſolitudo mea. At hic illi inſidiatur, totamque de improuiſo occupat: neque vſquam permittit, vt obliuiſcatur ſui. Admonet enim aliarum rerum frequentia, quantum abeſt: ſentio tum miſer inter omnia non omnia eſſe: atque ita incenditur deſiderium quæſitæ rei, nec inuentæ. Quare quo me vertam CIVES? quo me vero tandem vertam? ſi neque in veſtrum luce verſari per dolorem

rem licet mihi: id quod est acerbissimum viro bene instituto: neque per istos, qui sese nominant philosophos, in solitudine agere: quod est miserrimum homini soli. O miserrimam luctam conculcati animi mei cum fortuna! O miseriorem, cum seipso, si hoc quoque secum habeat depugnandum, ne amare liceat id, cuius causa mortalem ipse hanc adamabat vitam. Fauendumne tyrannidi crudelissimorum fatorum? qui inuito malefecerint: iis ego vt libens paream? liberos sustulerunt: atque auferent charitatem? O quis me antea tot inuictum monstris, nunc vero fortunæ obiectu a priore cōstantiæ cursu retardatum, animo fractum, mente exutum restituat in pristinam sedem consiliorum meorum: quibus & mihi, & aliis vir esse meminissem? Ea siquidem animi mei commotio, is teterrimus cruciatus cietur ex contemplatione maximi ac repentini excidij familiæ nostræ: cuius vis, dignitas, maiestas illo sublato stare non potest: quo incolumi non poterat labefactari. At nihil illi iam absenti prosunt dolores mei. At prodest mihi memoriæ meæ libertas, amissarum rerum mearum aliquam saltem visionem speciemq. retinendi. Nam profecto cum bis tum vere filiolum amissurus sum miser, si iterum meis cum lachrymis eius recordatio deleatur. Etenim fortunæ seruum si fuit corpus illud: quod reliquum est, animus sane meus in dolorem liber esto. Saltem hoc liceat scire mihi me miserum esse. Esse profecto videtur aliquid voluptatis sentire mala sua: neque aut præteruehi cordis quasi auribus obseratis, aut præbere sese otio-

ſum infelicitatis ſuæ ſpectatorem. Diſſimulabo me eſſe miſerum; & fortis ero? Imo vero contra, hoc ipſum aperto vultu aſſerendũ eſt, id vti ſimus, quod de ſeſe iactant iſti, qui mala ſua volunt ignorare. Alam infelicitatem meam? at augebo fortitudinem. Nimis enim anguſtus animus eſt, qui miſerias ſuas capere non poteſt. Quamnam ego adhibebo contumaciam, aut quos tandem ſpiritus libertatis: ſiue ab amentia proficiſcantur, ſiue ab animi magnitudine inducantur aduerſus tot terrores inuectæ ſolitudinis, ob quos adhuc in metu ſum: ne non ſatis queam intelligere ſummam mearum miſeriarum: cum quibus nullæ vnquam hoſtiles impreſſiones conferri potuerunt? Neque enim exilium hoc fatale noſtrum quicquam abſtulit viro forti. Quippe in eo non corporum extinctionem, ſed communem omnibus mortalibus locorum commutationem eſſe intelligimus. At in filioli mei nece, ne debita quidem olim mors allata eſt mihi, qua luctuoſiſſimi caſus perceptio tolleretur. Allatus eſt & ille cumulus ſolatiorum ſatis officioſe ab amicis: omnia eſſe mortalia: omnia caduca: alia medio in curſu intercidere, atque intercipi, alia mature tolli: nihil non ſuo fini occidere: terrarum oras immutari: alibi admitti maria, alibi enatis inſulis, ſcopuliſve coerceri. Exeſarum rupium vitia ac vetuſtates, tum ipſorum fluuiorum mortes narrant. His illi argumentis aggreſſi mœrorem meum expugnare, humanitatis officia exhauſere: ſapientiæ haud ita multum oſtenderunt. Quis enim erit iſte amor mei mihi, cui aliena mala afferant

rant fortunæ meæ commutationem? aduersis aliorum flatibus res meas habeam secundiores? aliorum ego vt casibus erectus stem? at quæ alia belluarum immanitas est? quippe earum commoda nulla sine aliena noxa, atque adeo ex incommodis capi queant. Ah quanto id satius mihi curandum sit (vt aliquam humanitatis faciem mœstissimo in animo meo tueamur) si illorum potius vna mecum doleam vicem, quam prætercurram dolorē meum, propterea quod eius momenta cum publico naturæ luctu sint coniuncta? Atque istos, cum hæc præclara dicta fortiter profitentur, sane tum extra fortunæ telorum iactum deprehendas. Qui simulatque increpuit illius armorum fulgor, nimirum istius mirificæ sapientiæ artes conticescunt. Omittite me, optimi CIVES, omittite hisce rationibus consolari. Remedia hæc irritant vulneris prauitatem. Quæ enim ad constituendum animum meum apparabantur, ea illum quam vehementissime exacerbarunt. Quæ nanque doloris faces a tanta lachrimarum vi extingui nón potuere, ab istis vocibus etiam atq. etiam ventilantur. Ac tametsi vel maximarum miseriarum memoriam componere tempus solet: mihi tamen qua ratione modum potest imponere fletus, cui flendi causam, quæ omnem módum exuperarit, dedit? Ergo hic lachrymarum æstus, qui calore pietatis efferuescit, apud me vnquam senescere, cum vitæ iucunditate in gratiam reuertere vnquam poterit? verum vnum id restat mihi, vt hac conditione fruar: in qua mortis contumelias, quas in aliena iniuria detestor,

vt hostes, in meis malis implorem, vt remedia. Iamiam animo meo charissime fili mi, neque superest quid pro me dicam: neque quid pro te conquerar reliquum video. Parentatum est enim manibus tuis non pecudum sanguine, sed acerbissimo interitu consiliorum meorum. Vos Deos immortales appello, si hoc vestro numine commissum est: hoc vos si commenti estis, vt me perderetis: agite & hunc integrum de me triumphum, quem equidem non nescire videor, quare tantopere despicatui habeatis: minus enim gloriæ minori e facinore estis reportaturi. Quo me cōferam? quo confugiam CIVES? quid implorē? Quæ spes vt velim viuere, me teneat amplius, debilitatum, desertum, desolatū, deiectum, oppressum? Cuius in sinū acerbissimi doloris fomenta, atrocissimæ fortunæ iniuriam, immanissimæ calamitatis memoriam deponam? Temporis ne? At eius perfidia nota est nobis, siue ipsum sese nolenti atq. inuito addidit mihi, siue filiolo meo subtraxit nec opinanti. Deponam in amicorum consolatione? At qui vulneri medeantur, cuius non notam habeant immanitatem? In meane sapiētia? At in homine mortali quæ vnquam inuenta est? &, si in vllo est vspiam, ipsa cum pietate humanis in animis nonne conspirare debet? Quanquam te, Audécte fili, extra huius miseriæ positum regiones spero cœlitus haurire fletum miserrimi parentis. Quo cum fletu quoniam suauissimam tui consuetudinem Fors improba commutauit: non committet pater, vt breuius sit mœroris sui tempus quam tuæ vitæ spatium sperarat. Heu spes inanes

inanes nostras! Heu falsas spes! Heu interemptas cogitationes! Nam quid ego miserrimæ dicam matri? neque medicamentis morbum tuum, neque animi robore periculum depellere valuisse: neque pro iure humano, pro ciuili, pro patrio iure satis doluisse, & huiusce vitæ cupiditate captum sequi te noluisse? Quid ego germano fratri tuo lectissimo puero referam, vbi sis? quem ille de me identidem rogitando reposcet, scio. Narrari iubebit, quid te factum sit. Quid ei dicam? reuisamne penates meos? At illi suam lugent orbitatem. Confugiamne ad templa deorum immortalium? At eorum inuidia leuari nullo modo potest. Amplius ne ad ædes reuertar meas? At illæ filioli mei madent sanguine. Hauriam ego præterea in illis spiritum, vbi ille amisit suum? etiamne hoc os funestum, atque impudens ostentem cœlo, testerque viuēdo, esse aliquid, quod plus quam tu, placuerit patri? Non placet hæc vita fili mi: neque enim ea fruendum est importuno seni: qua ætas ista pura defraudata fuit. Quid te ego hic exspecto? aut quid me tu expectas tandiu, neque nunc protinus amplecteris? Quid naturæ imploras fidem? quæ me iure suo destinabat eo, quo tu per iniuriā es detrusus. Postulemne, vti descendas huc, vbi me retineas? aut vnde me tecum auellas, atque abstrahas ab iniuria sceleratissimæ immanitatis: quæ in te summam potentiam voluit experiri. O insignem mortis, o barbaram feritatem! cuius impetum neque ille innocens potuit deprecari, neq. ego nocens adipisci. Cedam præsenti furori tuo: quæ naturæ iura dissol-

dissoluisti. Cedam tibi ciuium frequentia: quæ tam diræ solitudinis iugum imposuisti mihi. Cedam ciuilis nitore cultus: quæ perpetuo luctu animi mei splendorem extinxisti. Cedam vita hac, qua me in liberorum meorum ruinis obrutum exuisti. Vos vero felices auorum animæ, recipite nepotulum in sanctissimum illum vestrum regium senatum. Augete istic diuinum illud concilium: cuius magnitudinem ipse in terris fecerat inuidiosam. At vos recepti sedibus patriis manes, noui ciues cœlites: tu sanctissima animula, cuius in sinu senectus nostra debuit conquiescere: aspice orbum parentem, sordidatum, confectum, amentem, sibi omnia, suæ viuacitati dira omnia imprecantem. Aspice turpatam perpetuo fletu, atque insolita illuuie caniciem: pertinaces annos incubantes alieno vitæ curriculo, id est, tuo: neque ignosce desertori. Repete a me inutiles dies hos, qui concisæ isti ætatulæ iure optimo adiungendi erant. Vos vero pij CIVES hoc vnum postremum concedite saltem: ne omnia simul mihi ablata esse videantur, vt qui interempto filiolo ingratus, insolens, importunus superstes sum, mihi mœror atque luctus sit superstes. Profecto lachrimæ tollantur, gemitus, lamentationes: siue hoc temporis imperio, siue alterius fortunæ iussu: lugendi tamen mihi erit perpetua caussa atque sempiterna.

CLARI-

CLARITAS ET VETVSTAS

SCALIGERAE GENTIS.

Ex libello Iulij Cæsaris Scaligeri de Regnorum euersionibus.

PRIMVM *aspice, quo robore, quo fauore cæli*
A Scaligero est Attila depulsus Alano
Tum Carniolæ principe, totiusque tractus,
Qua Tirolia rigidis ceruicibus Alpes,
Et Feltria canet Borealibus pruinis.
Quando Hunnus ab ignobilibus ruens Iugris
Dirus Venetum agrum est populatus vniuersum,
Verona quibus tum vetus occidit ruinis.
Seruata tamen corpora ciuium potentum
In valle Polizeliaque Ananiaque
Vrbi renouandæ, satiusque muniendæ
Pleno populi dogmate principem crearunt.
Theodoro pater erat hic, Theodoricus illi.
Quanquam ambigitur, filius, an pater sit iste.
Nam Paulus vtrunque Æmilius monet referri,
Deprompta libro: quem, vt retulit, fide vetusta,
Incude Latina, igneque, Noricum recoxit.
Nam Torellius omiserat ista Saraina,
Blondusque aliena ex aliis stamina texens:
Nacti carie monimenta exesa procaci.

N *Venalis*

Venalis item penna Sabellij Latronis,
Qui dat, admitque, vt libitum, cuique quod vult.
Falsa qui rogatus vnde nam tot esset ausus:
Monstrans Venetum perditus aureum numisma,
Te, inquit, quoque lux hæc faceret loqui, si haberes.
Sic quidam mera Monachus fæx cucullionum,
Alberto cui pecori nomen est Leandro,
In gratiam, opinor, eorum, quibus studebat,
Defecisse blatit genus hoc Scaligerorum:
Cum multos alat etiam Germania, partim
Nostros patrueles, alios minus propinquos
In montibus iis, Carnia quis turget, & illis,
Quis gens Italos Norica disterminat agros.
Iam cesset, rogo, qui timet, in metu esse, ne quis
Nostrum repetat militiis sceptra vetusta:
Quis ægre peregrina, precarioque nutu
Patet aura. humilem trahimus spiritum miselli.
Hoc quod sum, esse satis. satis illud est fuisse.
Hoc in senio, his articulis debilitatis
Ad bella trahar, sapiens vnde me recepi?
Defessus inani, dubiaque opinionum
Et congerie, & murmure, mutuaque strage,
Cum Philosophi de nihilo vsque velitentur,
In ruris amœni nemora, anguli beati
Abdor. sepelit mens tepido calore curas,
Fundens saturas otio ab imminente nugas,
Addens Anapæstis metra syzygi Chorei.
Et Scaligeros sanguine comparem penates?
Me iam ad reliquum historiæ conuerto vetustæ.
Est Dalmatiæ non noua ciuitas Salonæ,

Quam

Quam feruida successibus elata secundis
Bello ausa ferox Gottica tentare libido.
Ibi Mauritius vi temerarius iuuentæ
Cecidit. Pater e præsidio euocans propinquo
Ortum ex minima filia Abellia Alaricum,
Et Scaligero Antenore, vicit acer hostes.
Mundius is fuit nomine, filius Quirici.
Polonia, cui planicies nomina fecit,
Sub duce steterat nomine Zelio, priusquam
Acer regia stemmata Misca vindicaret.
Is Zelius Agnetem habuit piam sororem,
Quæ Scaligero nupta ferociori Olao
Ei Nicoleon peperit cognomine Fortem:
Desiderij qui ad vada fudit Adriana
Secus Eridanum exercitum, & extulit trophæum.
Huius soboles Marticola Albertus atroci
Horas animo interritus, infractus ad omnes,
Turmas, pedites, agmina Taxili ferocis
Sistit, cohibet, præpedit, hactenus retardat:
Donec Carolus adueniens reapse Magnus
Palmam dubiam sustulit, ediditque certam.
Virtutis itaque impauidæ, atque amoris ergo
Bulzanum imperij ex patrimonio vetusto,
Præter vetera stemmata, sibi iussit habere,
Veronæ vt hoc tempore præfixa videntur.
Hæc munera ita a principe prærogata magno
Berengarius vt labefecit, haud ita post hæc
Ab Othone fuerunt meliora restituta,
Desponsa Emero coniuge Saxone Emetilde.
Hinc Trebellius, Hungariæ e sorore Regis

 Petri,

Petri est genitus, quæ fuerat nomine Balda.
E Dalmatia Zolomeri huic filia Regis
Nubit. Patris hinc indole Cazimirus alta
(Nomen genitricis posuere scripta nullum)
Ansaldum, & Othonem generat. deficit ille.
Hic quatuor illustribus, integerrimisque
Specie, moribus, animo, liberis tremendus,
Christophoro, Clemente, Georgio, atque Marino,
Vinxit stabili fœdere Noricum Bohemo.
Hinc Christophori soboles Nicolaus alter,
Exemplar honoris genuit sibi Albericum
Ex eximia virgine, nobili, vetusta:
Quæ proxima consanguinitate Barbarussæ,
Iohanna vocabatur ab vltimis Sueuis.
Is fortiter vnus agens, tot retulit armis
Belli præmia, proposuit quot inter omnes
Certissima militiæ lima Barbarussa.
Multi interea belligeri extitere nostri,
Andrea, & Alexander, Adolphus, & Philippus,
Et Wolphus, & insignis Amanilaus oris,
Polacæ soboles genitricis Edmundæ,
Alter facie & robore visendus Achilles.
Qui, Cocles vti, Sarmatici in ponte Tibisci
Turmas Bulgariæ repulit, distinuitque,
Ad signa sui quoad iterum colligerent se,
Palante metu quos male dissiparat hostis:
Quos fama tamen immerito obscura recondit.
Nam traxit eos Italici gloria Martis
Retro, pectora barbarico illusa tumultu,
Infensaque magnopere Græculis superbis,

Byzan-

Byzantiacus quos Latiæ induxerat oræ,
Hexarchi titulo, animis, factisque tyrannos,
Alberti hinc duo, tresque Canes, duo Visellí.
Quorum alterum habebat sibi Castriotus omnium
Longe intimum in omni acie, atque expeditione.
Alter Basilio duce iussa Moscouita,
Et castra secutus Nouigrodiæ, Liuonum
Fregit populumque, & proceres repulit armis.
Tum Bartholomæus Canis inclytum ex Bauari
Wilelmum habuit coniuge, prole Ludouici:
A quo Iouis ales sedet in vertice Scalæ,
Qualem Imperij retinent insignia totam.
Te, Mastine, canam, & duo sub nomine eodem,
Quorum puer vnus tener anteuertis annos,
Alter genuit consilij feri, ferocem,
Et barbarico in pectore spiritu Johannem.
Similem huic Phrygepani Mariæ, igneæ parentis.
Fœcundus huic sustulit exprobratione
Morum vterus, vt illi legio Martia luxit,
Nazarius, Andrea, Simon, Petrus, Iohannes,
Olaus, Americus. Ab his plurima sese
Fundit natio. Christophorus maximus heros,
E Tirolis nuper vt optimas cohortes
Taurinum in agrum, qua sita Cerosolia vicus,
Duxit, cecidit fortiter, hacque morte viuit.
Mastinus ab alta teneram arce Sitzenoffen
Vxorem habuit, nomine reque Margaritam,
Ex qua filia nomine nascitur Beatrix,
Quæ propter honesti decus, atque lumen oris,
Regina vocata est. Hanc varijs procis petitam

 Dant

Dant mollia fata Duci Barnabæ Insubrorum.
Huic quinque mares peperit, terque tres puellas.
Quarum talia nomina, fortunaque talis.
Natu placuit Viridem maximam vocare,
Lupoldi Ducis Austriæ, & inclutæ Bauariæ
Claram merito coniugio, meroque amore.
At fratribus & principibus Vindelicorum
Stephano Thaddæa, Magdalena Friderico.
Frontemque Valentinæ operit corona Cypri.
Coniunx enim ducitur illa Friderico.
Agnes facibus clara canenda Mantuanis :
Franciscus fuit etenim Gonzaga maritus.
Wirtembergia ducibus fratribus superbit.
Conrado soror vnaque & vna Friderico:
Illi Antonia, at huic data es Angleria nuptum.
Angli soboles regia nobilis cluebat
Edemundus. Huic Lucia particeps tori fit.
Catharina Ioannis Galeaccij Insubrorum
Fert Ducis auspicio bono & aucto omine tædas.
Nanque illius e sanguine bona fata beato
Duxere Valentinam. Ab ea lumina Regum
Et rerum exierunt, quibus ora tota paret,
Quæ Fancigenis debita virtutibus, audet
Decus imperij ad alios promouere fines.
Ex hoc tempus erit tibi descendere cælo,
Felicis memor Erato sæculi prioris,
Nunc huius miseri pia, bene conscia fati.
Quare hinc propius nostra referre non pigebit.
Wilelmum sobolem esse Canis Bartholomæi
Supra diximus. hinc series redordienda est.

Wilelmo

Wilelmo Bona Nicoleon parit, Pium quem
Debere vocari iubet haud iniqua fama,
Sterlinia proles Ducis. Hic dat Benedictum
Nullis animo Regibus, actisque secundum,
Ex Bartholomaea genitum optima Austericca
Lupoldi veteris Ducis aurea pronepti.
Huic Titum parit, & eum, cui dictat Apollo haec,
Libris edita pluribus, & reddita famae,
Lodronia flos, muliebris splendor honoris,
Comite Paride sata vetere, mea Berenica mater.
Hinc quatuor, acris totidem fulmina belli,
Dicam rapido numine, versibus canoris,
Fratres genitoris, sed eo aetate minores:
Quorum nomina, quae inuida nulla tollet aetas,
Bonifatius, & Hieronymus, atque Titus, atque
Franciscus honor Martis, item regula pacis.
Ex quo satus est Marcus. ab aureo colore
Russinus erat dictus is, hoc nomine clarus,
At Scaligeri nomine, nec numine tutus,
Extincta cupit dum Venetus semina nostra.
Hunc Vincius aggressus in urbe Mantuana
Notus publico nomine latro Martolossus,
Aliorumque duorum ope, Iannariique,
Sicarius obtruncat in intimo cubili
Ipsum. dolor heu, filiolos semisopitos
Ambos iugulant, Mauricium, Iuliumque.
Pro quo a Veneto praemia retulere nummos.
Ferrum hic. Regibus addita Cypriis venena.
Zacchi soboles Tuccius, illiusque frater,
Vbi nunc? vbi nunc estis? vbi indoles serena,

Comis

Comis, lepida eſt? noſtræ vbi ius ſodalitatis?
Me victa nitentis fuga ſæculi ſenectus
Quæſiſſe necem olim, modo ſed timere mortem:
Fixiſſe nouos terræ Nitiobrigum penates:
In ſpe dubia, dedecoris metu procacis,
Luces trahere immeritas exprobrare poſſit?
Quanquam, vt diximus, & piget audire rapaces,
Montana etiam plurima nunc noſtra propago
Regnat. Mihi ſunt quatuor (hæc gratia Diis eſt;)
Nati indole auita, meliore (quis ſcit?) aſtro:
Quorum vnus & alter poterit eſſe faber ſui, ſi
Quæ hactenus eſt barbara bacchata furore,
Fortuna reſorbens refluum reducat æſtum.

IDEM I. V. L I V S C Æ S A R

IN CARDANVM DE SVBTILITATE,

Exercitatione 260.

IGITVR ſi temporum ineas rationem, noſtra familia Cairo eſt antiquior, aut vtriuſque æqualis memoria prima. Simul enim cum Venetiarum primordiis Alani ac Theodorici Scaligerorum mentio fit.

Wolfgang. Lazius lib. XII *de Rep. Rom.*

Hardvvicus Comes a Scala & Burckhauſen procreauit Erbonem Burggrauium Ratiſponenſem, & Botonem Poſthumum, qui in Hungariam migrauit; cognomine Fortem.

Vſper-

Vspergensis Abbas, de Erbone & Botone Scaligeris.

Horum vtrunque literis & armis atque rebus satis profecisse cognouimus. Attamen Botonem sicut corpore proceriorem, & elegantiorem, ita rebus bellicis præstantiorem, atque famosiorem totius pene Germaniæ atque Italiæ testatur populus. Pannonia vero talem illum ac tantum se fatetur aliquando sensisse, vt is vere de Gigantibus antiquis vnus apud illos credatur fuisse. Friderim mater Erbonis & Botonis, siue Friderura, a Retingo filio Botonis filij Retingi de secundo Botone nati ex stirpe magni ducis Witikindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum per XXX ferme annos, procreata est. Witikind enim Immid & Reginbern contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes pugnauit, & vicit. Hæc Friderura post mortem Hartwigi statim viduitatis velamine consecratur, adhuc Erbone paruulo, Botone impraegnata Posthumo.

Iohannes Auentinus Annalium Boiorum libro VI.

Erbo in cunis amisit parentem Charrionum nobilissimus Dynasta, præfectus prætorio Boiariæ. admodum senex obiit, anno salutis 1102.

Idem in eodem libro.

Sighardus ex Sophia, quæ prius nupta fuit Henrico Duci Chariniano, Burkhardũ Regulum Burkhusianum, Sighardum & Henricum Scalas tulit.

Huius filij ſunt Henricus & Sighardus. Gebhardi vxor Itha, filius Gebhardus nurus Sophia. Atque hic Gebhardus abſque liberis maribus obiit, anno, vt dixi, 1155. Burkhuſium tum Henricus vndecimus Saxonum atque Boiariæ Regulus occupauit: quanquam patrueles Henricus & Gebhardus Scalæ ſuperſtites forent, quos in Italia conſediſſe non eſt vana coniectura.

Exemplum donationis Regis Belæ factæ Philippo & Bartholomæo Scaligeris, Hunniadum progenitoribus.

Bela, Dei gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Clumaniæque Rex: Omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis & lecturis ſalutem in eo, per quem Reges regnant, & Principes dominantur. Regiæ ſublimitati conuenit, omnium nationum, pariter & linguarum gentes ſibi deuote adhærentes, taliter prouidere, vt alij ſuperuenientes, eorum exempla imitantes ad fidelitatis opera exercenda feruentius euocentur. Pro eo ad vniuerſorum tam præſentationem, quam futurorum notitiam, harum ſerie volumus peruenire. Quod cùm humani generis ſordidis ſceleribus præualeſcens multitudo inæſtimabilis rabidæ gentis Tartaricæ, nos vna cum fidis & dilectis primatibus noſtris extra Monarchiam vſque ad litora Ponti atrociſſimè perſequentes in quandam inſulam maritimam repulentes cohercifſent: de qua etiam vt nos vna cum gente noſtra extrahere ſatagentes, vbi in

 con-

conflictu certaminis inter nostros, & ipsos Tartaros strenuissimi viri Philippus & Bartholomæus Scalich de Lika natione, per eorum strenua certamina quosdam primates ipsorum Tartarorum, sequacesque eorum captos coram nobis offerre: alios vero diræ necis exterminio necare, militassent: vbi etiam crebra stigmata & grauia sustulere. Quorum ob meritum, donec latiori eisdem prouideamus retributione, ipsos Philippum, & Bartholomæum Scalich de dicta Lika, eorumque heredes & successores vniuersos, de consilio fidelium nostrorum primatum vniuersis viribus, gratiis, honoribus, & insigniis, quadraturæ videlicet cornuum ceruinorum, & signaculorum Solis & Lunæ, cum ornatura nostræ coronæ, & solennium liberalitatum regni nostri Hungariæ prærogatiuis, participes & communes instituimus & facimus, atque in consortium & cateruam, ac numerum Commilitonum nostrorum locamus, locumque eis, ipsorumque hæredibus, & posteritatibus conferimus. Eisdemque insuper castrum Zkrad in nostro regno Croaciæ habitum, per defectum seminis ad Maiestatem nostram nunc deuolutum, cum omnibus eiusdem castri pertinentiis, quouis nominis vocabulo vocitatis, iuribus, vsibus, & fructuositatibus ad dictum Castrum ab antiquo de iure spectantibus, & pertinere debentibus, perpetualiter & irreuocabiliter damus & conferimus. Item in alio loco totam terram ex vtraque parte HVN similiter cum omnibus pertinentiis, & fructuositatibus vniuersis. Imo dedimus, donauimus & contulimus

ipſis eorumque hæredibus, vniuerſis, iure perpetuo & irreuocabiliter, tenentes & poſſidentes, pariter & habentes, & quomodocunque voluerint diſponentes. Præſcripta autem ſingula per nos præfatis Philippo & Bartholomæo Scalich pro tantis famulatibus eorum clementer indulta & remunerata, vniuerſos & ſingulos ſucceſſores noſtros felices Hung. Reges in Chriſto Rege ſempiterno deuotiſſime obſecramus, ne cōtemnant nec tranſgrediantur, quinimo rata tenere, & accepta obſeruare dignentur, vigore præſentis noſtræ paginæ. Vt igitur præſcriptarum gratiarum & donationum & liberalitatum prærogatiua perpetua firmitate ſolidentur: præſentes conceſſimus eiſdem, duplici ſigilli noſtri munimine roboratas: Datis iuxta Boznam per manus diſcreti viri Magiſtri Farkaſij Albenſis Eccleſiæ electi, & Aulæ noſtræ Viceeancellarij dilecti & fidelis noſtri. Anno gratiæ M. CC. LXIII. Regni autem noſtri anno XXIIII.

Bernardinus Scardeonius libro III *de claris mulieribus, de Beatrice Scaligera Regina.*

Memoranda quoq. eſt hic præcipuo merito prolis Thadeæ Carrarienſis felicitas, quæ vt antea dictum eſt, nupſit Maſtino Scalæ, principi Veronæ, cui Patauium ciuitas dos fuit, anno ſalutis M. CCC. XXVIII. menſe Septembris. Hæc ex Maſtino ſuſcepit quinque filias, quarum vna ex Barnaboue Vicecomite principe Mediolani, quæ appellabatur Regina, genuit

nuit quatuor mares, & duodecim fœminas, quarum
vna nupſit Cyprio Regi.
altera Ludouico primogenito Regis Galliæ.
tertia illuſtri Bauariæ Duci.
quarta inclito Duci Auſtriæ.
quinta Galeatio Vicecomiti ampliſſimo, poſtea Duci Mediolani.
ſexta Leopoldo Auſtriæ Duci, qui fuit auus Federici III imp.
ſeptima Duci Bauariæ.
octaua Friderico Regi Siciliæ.
nona Franciſco Gonzagæ.
decima Erneſto Duci Monachi.
vndecima Friderico eius fratri iuniori.
duodecima Dimundo Cantiæ Comiti primogenito Regis Britanniæ,

Ex quarum generoſa prole poſtea & Duces, & Reges, & Imperatores, qui regnarunt, & ad hunc diem regnant, vniuerſi fluxere: velut ex Cybele quondam tot Heroes orti, vt ſit ex eo dicta mater omnium Deorum. Nec minus quidem felix habenda videtur hæc, quam Lampito Lacedæmonia, quæ, vt Plinius refert, vna omnium fœminarum feliciſſima in omni æuo refertur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit. Hæc legi in antiquis Chronicis Veronæ, etſi ab his Saraina nouus hiſtoricus Veronenſis aliquanto diſſentire videatur.

De eadem Beatrice paulo sequius Paulus Iouius.

Beatrix Regina, Mastini filia, Barnabæ Mediolanensi principi elocata est : ex qua plurimas filias suscepit. Ferunt hunc in bellicos sumptus supra trecentas myriadas signati auri expendisse. Sed vel immensas ærarij diuitias vni dotales sumptus exhaurire facile potuerunt, quum numerosam prolem nobilissimis Europæ principum domibus insereret.

Viridem enim Leopoldio Austrio Norici regulo,
Thadeam Stephano } Boiariis Vindeliciæ pro-
Magdalenam Federico } ceribus,
Valentinā Federico Cypri Regi collocauit:quum
Agnetem Francisco Gonzagæ,
Catharinam Ioanni Galeazzio,
Antoniam, & Anglesiam Corrado, & Federico Wirtenbergensibus Sueuiæ Regulis nuptui dedisset.

Lucia subinde Edemundo Britanniæ Regis filio tradita, vt in remoto etiam Oceano sobolem propagaret. Quarum omnium dotes cum luculento mundi muliebris apparatu vicies centena millia aureorum excessisse constat. Ex Catharina primo partu genitam Valentinam Iohannes Dux Mediolanensis, affinis Facini, Ludouico Aurelianorum Principi Regis filio nuptui dedit. Simul & Asta Colonia dotis nomine Valentinæ obuenit. Ad liberos vero eius hereditatis titulo Mediolanensis imperij iura transierunt.

BEATRI-

BEATRICIS SCALIGERÆ REGINÆ EPITAPHIVM.

ITALIAE *splendor, Ligurum Regina Beatrix*
Hic animam Christo reddidit, ossa solo.
Quæ fuit in toto rerum pulcherrima mundo,
Et decor, & sanctæ forma pudicitiæ:
Laurea virtutum, flos morum, pacis origo,
Nobilibus requies, ciuibus alta quies.
Quam patris extollunt Mastini gesta potentis,
Veronæ nuptam, magnificique Canis.
Barnabas armipotens Vicecomes, gloria regum,
Naturæ precium, conspicuumque decus.
Qui Mediolani frenos, & lora superbæ
Temperat Ausoniæ: quem timet omne latus.
Hac consorte tori felix, consorte laborum
Exegit longa prosperitate dies.
Hanc Deus elegit, secum periturus & inde
Spiritus ætherei regnat in arce poli.

EPITAPHIVM CANIS MAGNI SCALIGERI

Sepulcro ejus incisum in æde
S. Mariæ Antiquæ.

SI CANIS HIC GRANDIS INSIGNIA FACTA PEREGIT,
MANTVA TESTIS ADEST, QVAM SÆVO MARTE SVBEGIT:
SCALIGERAM QVI LAVDE DOMVM SVPER ASTRA TVLISSET,
MAIORES SI PARCA DIES INFIDA DEDISSET.

CANI SCALIGERO MAGNO.
Ex Heroib. Iul. Cæſ. Scal.

O natum imperiis ſanctum caput, aurea ſecli
Vena boni, belli & pacis vterque parens:
Cognato inuicta o virtus contermina cælo:
O par magnanimo dextraque, menſque Deo:
Delitiæ humani generis, ſpes vltima rerum,
Quas fera Fors fati turbine rapta quatit:
Sancte, libens cape, quas tepidas tibi ponimus aras,
Inclitaque aſtrigena ſtemmata parta manu.
Et patere exigua hæc profugi quoque facta nepotis
Surgere, qua veteri mole ruente, vacat.
Nil ſummum ſtetit vſque. tuo ſuper omnia ductu
Res euecta, ſuo pondere preſſa iacet.

Taurellio Sarainæ, & Paulo Æmilio hiſtoriæ Scaligeræ ſcriptoribus Iul. Cæſaris Scaligeri Euchariſticon.

Deſcripſit patrium ignaris qui gentibus orbem,
Et noſtros, patrij qui decus orbis auos,
Acer iudicio, ingenio Torellus amœno,
Legibus inſignis, nobilis hiſtoria,
Condidit æternos meritæ Genetricis honores:
Scaligeros poſuit, qui cecidere, lares.
Non potuit tamen ille ſuis felicibus horis
Certius ignotos continuare Duces.
Quid faceret? toties vario fortuna tumultu
Dum furit, & miſeris incubat hoſtis agris,

Tempus

Tempus edax operit: populatur dira vetustas
Nominaque & saeclo gesta sepulta rudi.
Paulus adest, qui facundo detexuit ore
Eruta Germanis stemmata sacra libris.
Magnanimo primum imperium deduxit Alano,
Attila quo Latias tempore fregit opes,
Wilelmum usque ad auum magni genitoris. at illi
Nicoleos fuerat, quod fuit ille mihi.
Pro quibus, o, meritis, quid iam, quid utrique reponam?
Reddere quid profugi sordida fata parent?
Nanque hos nec lacrimis pensandos esse labores
Arbitror: & mihi iam nil nisi flere datur.
Praemia vos ipsi vobis. opus omnia vincit
Vestrum, quo patriae reddita vita fuit.

LANVS PANNONIVS POETA

IN PANEGYRICO, GVARINO praeceptori suo dicto, de Verona:

Inde olim vestrum scitis prodisse Catullum.
Plinius inde satus. Sed nunc venit altior illi
Gloria. Scaligeris nec se iactauerit aeque
Regibus, & magni Canis armipotentibus actis.

TESTIMONIA DE IVLIO CÆSARE SCALIGERO.

Epistola Iulij Cæs. Scaligeri ad Augerium Ferrerium Medicum Tholosanum, dictata Iosepho filio; quod est postremum omnium eius operum. Anno CIↃ. IↃ. LVIII.

SCALIGER AVGERIO FERRERIO S.

QVOD tuis elegantissimis literis non responderim, multas adferre caussas possum: sed omnes quidem, præter meas occupationes. Nam quemadmodum iucundissima mihi fuit salutatio tua, ita nihil mihi prius esse oportet, quam, vt omnibus omissis, ostendam diligenter & mihi fuisse honori, & dandam esse operam, vt mutuis officiis eliciam frequentiorem. Cæterum ad hanc vsque diem, nemo se obtulit nobis, qui isthuc iter faceret, nisi Quæstorum ministri, quorum tanta est superbia, vt præ se contemptis cæteris omnibus pene regnent. Podius vero noster pene prius abiit, quam accessit. Atque nunc etiam ita scribo, non qui habeam quidem, sed vt ne mihi desim, si forte quopiam meliore fato nactus fuero nuncium aliquem opportunum. Scriptionis vero meæ summa in eo potissimum versatur, vt quam maximas possim, gratias agam viro de nostro sæculo bene merito Paschalio, qui ita censuerit: me augere posse numerum virorum illustrium, præsertim in regia historia. Ac quanquam diuturna ambitione meus animus æger

sibi

ſibi ſtuduerit aliquid comparare, quo ſe humo, vt ille canit, tolleret: ſæpe tamen ſeſe reſpiciens, ac ſui compos factus, faciundum putauit, vt iam partæ gloriæ acquieſceret. non quod vel recuſem, vel paruifaciam, me vti beneficio tanti viri: ſed ſatis habiturum me debere arbitror, ſi quantus illi modo notus ſum, tantum oſtendat poſteritati. Nam quod tam gratioſe atque humane petit, de me vt hiſtoriam conſcribam, quin ad id adducar faciendum, tres omnino cauſſæ prohibuere. Ac primum quidem pudor ingenuus, & dignus vel familia noſtra, vel mea inſtitutione. Deinde quod quam maximis atque illuſtriſſimis de rebus meis vbi narrauero, tam maxime me dixerint mentiri quicunque tantum literarum cum tanta belli gloria in ſeipſis coniunctum non eſſe indignantur. Tertium vero illud eſt: cum elogio ſimpliciſſimo tranſigendum illi video, quæ ne maiori quidem libro comprehendi poſſent. Pugnaui pedes, eques, adoleſcens, iuuenis, miles, præfectus, certamine ſingulari: in obſidionibus, in campo ciuili, ad ludos equitum ordinarios: in excurſionibus, in exercitibus. ſæpius vici. aliquando victus ſum, corpore non animo: non virtute, ſed fato: ſed ita, vt etiam aduerſi caſus ipſi maiori mihi fuerint honori propter egregia facinora, quam ipſis hoſtibus victoriæ. Loca infinita non deſignabo. Familiæ noſtræ merita a Taxili vſque temporibus erga regnum Gallicum ad meam vſq. operam notiſſima ſunt. Quod ſi exempla non ſunt odioſa, potuerit illius erga me amor eius animum eo impellere, vt

ſimul & Maſiniſſam, & Xenophontem componat; quorum vtriuſque idea vix me vnum exprimat. Vides quam ridiculus mihi ipſi factus ſim, cum vix centeſimam quanque partem delibarim. De his omnibus ita, vt volet. Nam familiam meam quotuſquiſque doctiorum neget, ſi nobilitas in vetuſtate ſita eſt, eſſe omnium nobiliſſimam: cuius lux in Alani ſplendore ac virtute aduerſus Attilam primum refulſit. Si ad capita principum ſpectes liberalium, magnanimorum, fortiſſimorum; perpaucæ gentes cum ea ſunt comparandæ. Si quis malit intueri cognationes: deductos nos ſciat multis ex imperatoribus. Quintus enim ego ſum ab Imperatoris Ludouici Bauari filia. Si quid vero conferunt etiam affinitates: quis ignorat Maſtini Scaligeri filiam Beatricem Barnabæ ducis Mediolani vxorem decem filias peperiſſe, quæ omnes maximis Europæ principibus nuptæ fuerint: Vna etiam Edoardo Regis Angliæ filio: quo defuncto duxerit eam vxorem dux Andegauenſium: altera vero Siciliæ Regina fuerit? Sed vt parcam hiſtoriæ, hic eſt ille Barnabas, cuius fratri nupſit Valentina, & quam honoris cauſſa nomino, & qua nominata finem ſtatuo gloriæ noſtræ. Nihil enim mihi honorificentius contingere potuit, quam vt eſſem ſub luce Regum Francorum, non ſolum tanquam ciuis adſcitus ab optimo maximo Franciſco Rege diuino: verum etiam particeps benignitatis atque pietatis Regis incomparabilis Henrici ſecundi. De meis vero vel ſtudiis, vel ſcripturis nihil ad Paſchalium mittam. De iis moribus, quæ ad vegetum

tum

tum robur animi pertinent etiam in hac extrema senectute, qui pene octagenarius sum, perpauca poterit, nisi piget. Omitto frigoris, æstus, inediæ patientissimum, dies integros laboribus fregisse, noctes etiam continuasse. Hoc multis fortasse commune: illud non fortasse multis: Vespere post expedita diurna negotia ad sexaginta versus commentum esse, deinde cænasse: post cænam dictasse, quæ ad ægrotorum postriduanas præscriptiones pertinerent: postea somnum cepisse: summo mane experrectum fremitu nuntiorum, qui opem meam petunt quotidianam, interrogasse, respōdisse, dictasse sub prandium vsque: meridie pransum, illos ipsos versus, quos vespere concepissem, ad verbum sine vlla hæsitatione scribi iussisse. Qui hæc non mirabitur, fortasse ne illud quidem: decem & septem Æschyli versus semel modo lectos summa fide memoriter illico reddidisse. Habes quæ a Paschalio humanissimo rogatus, a meipso coactus effudi: non quod digna putarem tanti viri lucubrationibus, atque admiratione posteritatis: sed ne viderer barbaro fastidio tam luculentum officium contempsisse. Vale. Agenno. Prid Non. Iulij.

Tuus Scaliger aliena manu. mea enim ægerrima hoc tantum subscripsi.

Notandum hanc epistolam officiosa importunitate doctissimi Augerij Ferrerij a Iulio expressam fuisse. Nam inuitissimus eam scripsit, tribus mensibus cum dimidio ante obitum suum. Μνημονικὸν

autem ἁμάρτημα est καὶ γεροντικὸν, Valentinam nupsisse Iohanni Galeazio fratri Barnabæ. Non enim ea, sed eius mater Catharina illi nupsit, qui erat patruelis eius.

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS

DIALOGO POSTERIORE

De Poetis nostri temporis.

IVLIVS Scaliger, qui prius Burdonis cognomine fuit, Veronensis, apprime eruditus, non solum soluta oratione, in qua nonnulla leguntur, sed & versu quædam cecinit, inter quæ Elysius (poematis hæc inscriptio est) in quo insulam Padi Beluedere Ferrariæ Ducis eleganti carmine descripsit, & omnem fere Estensium genealogiam. Nuper eius libellum de numeris Comicis legi, mira subtilitate concinnatum, adeo vt interdum nisi bene in numeris versatus lector se possit explicare. Scripsit & alia multa, &c.

Non Burdo, sed a Burden cognominabatur.
Eridanum dicebat Scaliger, non Elysium a se nominatum.
Quod Veronensem vocat, frustra est. A Wilelmo enim Grosso deinceps nullus ex stirpe Canis Bartholomæi natus fuit Veronæ, sed in Bauaria & in Norico.

Cælij Secundi Curionis de Iulio Cæsare testimonium.

IVLIVS Cæsar Scaliger fuit corpore procero, meæ omnino staturæ, recto, ad dignitatem composito, colore subfusco, oculis micantibus. incessus, omnisque gestus grauis, sed sine fastu: vestitus elegans.

gans, ita ipso aspectu principem iudicares. Sermo cæteris respondens, rarus; in quo grauitas cum humanitate & lepore certaret. Sed bene Latine ab omnibus loqui existimabatur. Vxorem duxit nobilem & primariam suæ ciuitatis puellam Aginni, quam Agen vocant Galli, in Aquitania: ex qua aliquot liberos suscepit: quorum maximus natu Siluius Cæsar appellatur: quem viuere existimo.

Julius Cæsar Scaliger exercit. 266.

Paulus a Middeburgo, qui postea Maximiliani Cæsaris beneficio fuit episcopus Foro-Semproniensium, omnium sui temporis Mathematicorum ex nationis prærogatiua, facile princeps: is Paulus, cum mihi salutis lauacrum impertiretur, iussit hoc nomine, quo tibi nunc notus sum, nominari. Canem imperarat Pater, vt maiorum suorum quasi inauguratione quadam, si potentia non posset, memoriam renouaret. At Middeburgus, qui meum natalem diem, atque cæli faciem considerasset, hilariore, vt ferebant, vultu: Canes, inquit, tui sua fortuna defuncti sunt. Hunc dictatorem alterius fati, noui sane caput oportet esse. Quod mihi adulto postea, &, quid innuerat, ignoranti sæpe inculcauit, hisce nempe verbis: A TE PRINCIPIVM.

Exercitatione 315.

Cum Bonifatij patrui mei, viri acerrimi atq. fortissimi vererer reprehensionem, non audebam vulnera maximis in periculis vitare.

Verba,

Verba, quæ Iulius Cæsar Scaliger Tumulo suo incidenda testamento cauit:

IVLII CÆSARIS SCALIGERI, QVOD FVIT.

Benedictus Scaliger Iulij Cæsaris pater, ex Heroum libro.

Euerso patrio imperio, atque illustribus armis,
Scaligerum inuicti post opera alta animi,
Victum ab eo toties fatum superauit: & inde hæc
Relliquias tanti nominis vrna capit.

Bonifacius Scaliger Iulij Cæs. patruus.

Ergo legens de te scripsi quæ, maxime rerum,
Tanta etiam vt valeant sollicitare Iouem:
Inueni dictisque tuis, factisque minorem
Omnigenam linguam, magnificamque manum.
Quare quæ de aliis summa omnia dixero: in iis te
Principij ac finis iura tenere, tuum est.

Titus Iul. Cæs. frater, qui obiit in clade Rauennate.

Tune etiam Hesperiis, etiam lugendus Eois,
Heu fratris nomen, Frater, inane mihi:
Ergo etiam terris, etiam lacrimabilis auris,
Amisso vitæ lumine, Frater, abes?
Frater abes, tecumque rapis, quodcunque relinquis,
Nam tecum malim, Frater, abesse mihi.

Heu

Heu vbi sum, qui tecum abeo, meque ipse relinquo?
Si quod es, hoc ego sum: quod sum ego, tu esse nequis?

Berenica Lodronia mater Iul. Cæs. Comitis Paridis Magni filia.

Quod genus, & sexus poterant dare, cuncta ferebam.
At quæ non poterant cætera ferre, dedi.
Ex vtero, armorum ac tantæ miracula linguæ
Prodierunt, vt sint pauca habitura fidem.
Nobilitas, nulli toto quæ cedit in orbe,
Hæc sibi partiri debuit, illa dare.

Angela Nogarola Iul. Cæs. magna matertera.

Sub decimam triplicis linguæ commercia Musam
Hoc tenui cinerum puluere capta iacent.
Heu dulcis numerosque lyræ, flexumque sonumque
Obruit insana barbara Parca manu.
Mnemosynes sanctæ soboles, pia turba, Camœnæ,
Non capitis tumulum hunc ex Helicone locum?

Andietta Ruppia, siue de la Roca Iul. Cæs. vxor.

Difficilis nimis, expendens nimis omnia, iudex
Asper, & antiquis durior vnus auis,
Morosoque notas animo suspendere suetus,
Magnanimas toto spreuerat orbe Deas.

In me vna lenta illa animi vestigia fixit,
Rite colens sancti numina magna tori.
Ne mirere mei cælestia signa decoris,
Atque cata Paphiæ membra polita manu,
Mitis honorato faciet sapientia vultu,
Mistaque cum rara sobria verba fide.
Magnum illud, per me ille ferox pernicibus ausis
Si potuit patria posse carere sua.

Iulius Cæsar Scaliger animæ suæ profecturæ.

Egredere o miseris multum defuncta ruinis,
Egredere, & seruis seruilia regna relinque.
Aude, hospes, tenebris horrendi imponere finem
Exilij, & patriæ speratas quærere sedes.
Tristes exuuiæ, falsæque incommoda lucis,
Isthic nunc, fera turba, iace. nos libera cæli
Pignora sperato iam iam potiemur Olympo.
Tu modo, nate Deo, rerum pia victima, IESV,
Aspice nos, qui cuncta animas, mortem
Exue morte noua, atque noua vita indue vitam.

Iulij Cæs. Epitaphium ab ipsomet compositum.

Extulit Italia, eduxit Germania. Julij
Vltima Scaligeri funera Gallus habet.
Hinc Phœbi dotes, hinc duri robora Martis
Reddere non potuit nobiliore loco.

Eiusdem